EXPLICATIO TRIUM VTILISSIMORUM LOCORUM N. TESTAMENTI:...

Digitized by Google

1022. 20

Digitized by Google

1022.20

EXPLICATIO
trium utiliſſimorum
LOCORVM
N. TESTAMENTI:

Capitis I Pauli ad Epheſios.

Poſterioris partis capitis II Iacobi, commatis IX & ſequentium.

Capitis III Epiſtolæ I Ioannis.

In quibus agitur
DE
FIDE & OPERIBVS.



MED.PALAT. BIBL.CAES.

AMSTERDAMI,
Apud IOH. & CORNELIVM BLAEV,
cIↄ Iↄ c xl.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

1022.20

IN PRINCIPIVM EPISTOLÆ PAVLINÆ AD EPHESIOS.

V. I. ΠΑῦλος ἀπόστολος Ἰησοῦ χρι-
στοῦ, *Paulus Apoſtolus Ieſu
Chriſti.*] Epiſtola hæc ſem-
per inter eximias eſt habi-
ta, ſcripta ab Apoſtolo jam diu functo Apoſtolicum munus, cum in vinculis eſſet Romæ, ad Epheſios, civitatem Aſiæ præcipuam, è qua urbe multi viri docti & in ſæculi rebus ſapientes prodierant. itaque ſollicite oſtendit quantum omnes doctrinæ ſordere debeant præ Euangelio, cujus ſublimitatem admirandis & vere Apoſtolicis cogitatis exprimit. Apoſtolicam autem dignitatem ſibi adſcribit, & in hac, & in aliis epiſtolis, cogente re, quod multi eſſent qui ipſum docendi munus à Petro, Iohanne & Iacobo accepiſſe dicerent, eorumque nomine, quanquam ipſis illis nolentibus, uterentur, ut rituum Iudaicorum ſervitutem iis qui è Gentibus vocati erant, imponerent. Pertinet autem maxime hæc epiſtola ad demendam auctoritatem iis qui eruditionis extraneæ nomine ſe venditantes ob id Gnoſtici vocabantur, cujus argu-

menti eſt & ad Coloſſenſes huic plane germana, & illa ad Titum, utraque ad Timotheum, Petri altera & Iudæ. Scripſit Paulus eodem plane exemplo epiſtolam ad Laodicenſes ut ex Tertulliani libris contra Marcionem colligere eſt. Et illa forte eſt epiſtola λαοδικείας id eſt, Laodicenſibus ſcripta cujus mentio Coloſſ. IV, 13.

Διὰ θελήματος θεοῦ, *per voluntatem Dei.*] Non humano arbitratu factus Apoſtolus. Sic & 1 ad Cor. 1, 1, & 2 ad Cor. 1, 1. & Col. 1 Tim. 1, & 11. idem valet quod expreſſius initio ad Gal. οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ διὰ ἀνθρώπου ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ, *non ab hominibus neque per hominem ſed per Ieſum Chriſtum.* & initio prioris ad Timotheum κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ πατρὸς καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, *ſecundum imperium Dei Patris & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti.*

τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν ἐφέσῳ, *omnibus Sanctis qui ſunt Epheſi.*] Sic appellat non cælibes tantum, ſed & conjugio ſancte utentes. vide infra v. 22, & ſequentibus.

καὶ πιστοῖς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, *& fidelibus in Chriſto Ieſu.*] πιστὸς Græco ſermone proprie eſt qui fidem præſtat, ac pollicita ſua rata facit. A ſcriptoribus Græcis Novi federis ſæpe ſumitur in ſenſu minus proprio, ut πιστεύοντα *credentem* ſignificet, ut videre

eſt Ioh.

eſt Iohan. xx, 27. Actor. x, 45. xvi, 1. i Tim. iv, 3. iv, 12. v, 16. Tit. i, 6. Sed hoc loco rectius & ſignificatu illo magis proprio ſumi, quomodo Matth. xxiv, 45. xxv, 21, & 23. Luc. xii, 42. xvi, 10, 11, 12. xix, 17. ii Tim. ii, 2. & de Deo ii Cor. i, 8. i Theſſ. v, 24. ii Theſſ. iii, 3. ii Tim. ii, 13. Hebr. x, 23, ii. i Petr. iv, 14. quia poſt titulum ſanctorum melius ſubjungitur titulus qui conſtantiam in ſanctimonia ſignificet, quam qui aſſenſum Euangelio habitum. Eodem modo πιστοὶ dicuntur qui ante κλητοὶ & ἐκλεκτοὶ *vocati & electi.* Apoc. xvii, 14.

v. 2. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ, *Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.*] Favorem eis Dei Chriſtique optat, &, quæ ei connexa eſt, veram felicitatem, quam noſtri ſcriptores ad Hebræorum exemplum pacis nomine appellant.

v. 3. εὐλογητὸς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, *benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.*] εὐλογεῖν, *benedicere*, & laudare ſignificat & benefacere (ut Iobi xlii, 12. & alibi) quia nimirum id ex benevolo proficiſcitur animo, non minus quam bona dicta. ita ſæpe ſimilia ſimilium obtinent nomen.

ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ, *in omni benedictione ſpirituali.*] Non illis nos beneficiis affecit quæ ad hanc vitam ſpectantia Hebræis Deus promiſerat, tum alibi, tum Deuteronomii VII, 13. ſed æternis ac cæleſtibus. ideo addit

ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν χριστῷ, *in ſupercæleſtibus in Chriſto.*] illa in terris peragebantur, Exod. III, 8. hæc nos & ſpe & jure in cælo collocant, Matth. V, 3, 10. Philip. III, 20.

V. 4. καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ, *ſicut elegit nos in ipſo.*] Rem novam eſſe Euangelium objectabant & Iudæi & pagani, ideo multis in locis oſtendit fluxiſſe hoc ex vetuſtiſſimo decreto, quod ſæpe & ex typis veteribus & ex prædictionibus probat. Eligere, ut in ſermone communi, ita in ſacris literis, varios habet ſignificatus. Eſt electio ad vitam ſuavem & diuturnam, ad poſſeſſionem terræ uberrimæ, ad legis cognitionem, ad regnum, ad ſacerdotium, ad prophetiam, ad libertatem reditumque in patriam, ad alia. In Novo autem fœdere electio itidem multa ſignificat, ut eſt electio ad Apoſtolicum munus, ad legationem aliquam, ad functionem diaconi. Sæpe electio ſignificat approbationem eorum qui Euangelio credunt, ut videre eſt maxime

Iacobi

Iacobi II, 5. quo recte referas & illa I Cor. I, 27, 28. & II Theſſ. II, 13. & ad Romanos multa. Hoc vero loco videtur ſignificari vocatio per Chriſtum ſive per Euangelium ejus: ſicut contra illa credentium electio, vocatio interdum dicitur, ut I Cor. I, 24 & 26. Non immerito autem electionis voce indicatur beneficium illud eximium, reſervatum iis qui Meſſiæ temporibus aut non multo poſt erant victuri, & ſpectatores futuri tot miraculorum ac donorum Spiritus ſancti. Sic ἐκλογῆς vox ſumitur I Theſſ. I, 4. Sed & hoc hic notandum eſt, hic non ipſam vocationem deſignari, ſed de vocandis Iudæis & Gentibus, atq; inter eas etiam Epheſiis, decretũ, per μετωνυμίαν ſatis frequentem, quæ conſilio dat effectus nomen. Simili ferme modo Paulus II ad Tim. I, 9, ait χάριν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων, *gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſæcularia.* Et mox dicturus eſt c. II, 6, nos à Deo collocatos in locis cæleſtibus per Chriſtum: quem in ſenſum & Auguſtinus locum Ioh. XVII, 5, exponit.

πρὸ καταβολῆς κόσμου, *ante mundi conſtitutionem.*] Non temere quibuſvis Dei decretis adjectam hanc notam reperias, ſed eximiis, comparatione ab iis ſumpta qui do-

mum ſtructuri omnem ejus uſum animo ſibi præfigurant, & ad id cuncta dirigunt. vide Matt. xxv, 34. Ioh. xvii, 24. i Pet. i, 20. Sic ἐξ αἰῶνος *à ſeculo*, Eccleſiaſt. i, 4. ἀπ' αἰῶνος Actor. xv, 18. ἀπὸ τῶν αἰώνων, *à ſæculis*, hac epiſtola iii, 9. & Coloſ. i, 26. πρὸ τῶν αἰώνων, *ante ſæcula*, i Cor. ii, 7. πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ante tempora ſæcularia*, ii Tim. i, 9. Tit. i. 2. Hoc ſenſu ajunt Hebræi legem, nomen Meſſiæ, & pœnitentiam fuiſſe ante Mundum conditum. Vide, ſi libet, titulum Thalmudicum de Votis & Rabbi Iſraelem. καταβάλλεσθαι, eſt jacere fundamentum. Ab ea ſimilitudine καταβολὴ κόσμου, initium Mundi conditi locis jam dictis & Matth. xiii, 35. Luc. xi, 50. Hebr. iv, 3. ix, 26. Apoc. xiii, 8. xvii. 8.

εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate.] ἔλλειψις vocularum εἰς τὸ vel πρὸς τὸ ut ſæpe. Huc ſcilicet ſpectat & decretum vocandi, & ipſa per Euangelium vocatio, ut qui vocationi obtemperant, eximia quadam fulgeant probitate atque innocentia quæ Deo placeat, procedens quippe ex animo Deum diligente, tum ob beneficia jam præſtita, tum ob ſperata ab ipſo præmia. Bene

ad

ad hunc locum Chryſoſtomus: *ἵνα τοίνυν μὴ ἀκούσας ὅτι ἐξελέξατο τὴν πίστιν ἀρκεῖν νομίσῃς μόνον, καὶ τὸν βίον προστίθησι, ne igitur cum audis, elegit, fidem ſolam ſufficere exiſtimes adjecit & vitam.* Sicut quidam ſunt *ἄμεμπτοι, ſine querela*, ſecundum Moſis legem, Luc. I, 6. Philip. III, 6. ſic ſunt quidam ſecundum Euangelii præſcripta *ἄμεμπτοι*, Philip. II, 15. I Theſſ. II, 10. III, 13. *ἀμώμητοι* ſive *ἄμωμοι immaculati* hic infra v, 27. Philip. II, 15. Coloſſ. I, 22. II Petr. III, 14. Iudæ 29. Apoc. XIV, 5. abſtinentes ſcilicet ab omnibus illis culpis quę hominem ab Euangelico federe excludunt, quo ſenſu etiam dicuntur non peccare I Ioh. III, 6, 9.

v. 5. *προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτὸν, qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum.*] Hoc & hic & alibi ſedulo agit Apoſtolus ut oſtendat ex multo ante conſtituto veniſſe quæ tum diſpenſabantur. Ea antecedens conſtitutio vocatur *προορίζειν, prædecernere.* *πρόθεσις propoſitum.* interdum & *πρόγνωσις præcognitio.* Prima vox legitur Act. IV, 28. ubi de provida permiſſione & directione agitur, Rom. VIII, 28, 30. I Cor. II, 7. & mox ℣. 11. alterius vocis verbum Rom. III, 25. & hic mox ℣. 9.

nomen inde factum Rom. VIII, 28.& IX, 11. & hic mox III, 11. Tertiæ verbum hoc ſenſu (eſt enim ubi approbationem magis ſignificat) 1 Pet.1, 20. nomen autem Act.11,23.ubi itidem de provida permiſſione ac directione ſermo, & 1 Petr.1, 2. Talium autem antecedentium conſtitutorum cum ſit mentio, conditio non ſemper additur, quippe quæ ex ipſa negotii natura, ſæpe & ex verbis præcedentibus, & ex ſequentibus ſeriis admonitionibus, ſatis poteſt intelligi. Sic Paulus dicit Romanis 1,13, προεθέμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, *propoſui venire ad vos*. nempe ſi negotia magis neceſſaria id paterentur. Sic Rom. VIII, 29, quo capite de malis ſufferendis agitur, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, *prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, id eſt, decrevit ut & ipſi ad ſumma bona perveniant, eadem qua Chriſtus via, modo ſcilicet crucis ſigna non deſerant, ut ante dixerat VIII, 17, εἴπερ συμπάσχομεν, *ſi tamen compatimur*. Paulus ad Apoſtolicum munus Deo ſepoſitus, Gal.1,15, ſed nimirum ita, ſi non inobediens eſſet cæleſti viſo. Act. XXVI, 19. Eidem & comitibus promiſſa in ſummo maris periculo

ſalus

ſalus Actor. xxvii, 24. Si & ipſi ſcilicet, quod in ipſis erat facerent, nautas in navi retinerent, xxvii, 31. alimentis uterentur, 34. jactum facerent, 38. natarent 43, 44. ita hic dicit ante conſtitutum à Deo, ut illos vocatos non tantum ex inimicis amicos faciat, ſed & ſibi (nam *εἰς αὐτὸν, in ipſum*, hic & alibi valet *αὐτῷ ſibi*, id eſt לו) filios adoptet, pro filiis habeat tractetque, per & propter Chriſtum, nempe ſi vocationi, ut debent, obediant. ita paſſim conditiones tum ex rei qualitate, tum ex locis aliis plurimis & clariſſimis, tacitæ pro expreſſis haberi debent. Hieronymus ad hunc locum: *Hoc prædeſtinavit ut haberent poteſtatem filii Dei fieri homines, qui credere voluiſſent.*

κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.*] εὐδοκία & εὐδοκεῖν ubi abſolute ponuntur, id eſt non addita præpoſitione perſonæ nomen regente, aut aliqua re ſimili, decretum ſignificant, ita liberum ut ejus rationem aliquis alteri reddere non teneatur. Luc. xii, 32. Rom. xv, 26, 27. 1 Cor. i, 21. Gal. i, 15. Coloſſ. i, 19. 1 Theſſalon. ii, 8. Matt. xi, 26. Luc. x, 21. Sic & ii Macc. xiv, 35. Si quis quærat cur Deus tanta illa bona illorum temporum hominibus impartiverit,

tiverit, pro Deo reſponderi poteſt: Non licet mihi de meo facere quod volo? Matt. xx, 15. & miſerebor cujus miſerebor. Rom IX, 15. Sic חפץ poni de decretis quorum cauſa ignoratur notat Abrabaniel ad Eſaiam LIII, 10. Servius ad initium tertiæ Æneidos: *quotieſcunque ratio vel judicium non apparet, ſic viſum, interponitur*. Sic Mundum à Deo conditum ἐξ εὐδοκίας *ex lubitu*, ait Rabbi Iſrael ex Rabbi Ioſepho filio Carnitolis.

V. 6. εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*.] Non hic finis Dei primarius indicatur, ſed id quod æquum eſt nos pro ſummis beneficiis Deo reddere. 1 Petr. II, 8. 1 Cor. VI, 19, 20. Neque vero quicquam à nobis proficiſci poteſt, quod naturæ noſtræ ſit convenientius, aut Deo gratius, vide Pſal. L, 14, & ſequentibus. Agitur autem hic de ea laude & gratiarum actione quæ ſtatum adoptionis conſequitur.

ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, *in qua gratificavit nos*.] χάρις eſt beneficium: χαριτοῦν afficere beneficio, reſpondens plane Hebræo חן. Eſt autem ἐν χάριτι χαριτοῦν *gratificari gratia*. Hebraicus πλεονασμὸς *abundantia ſermonis*, aut potius locutio ἐνεργητικὴ *efficax locutio*, ut morte mori, ſervitu-

tem

tem ſervire, & mille ejus generis alia.

ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, *in dilecto.*] ἐν pro propter, ut infra III,19. & alibi. Sicut Deus in federe veteri ſæpe ſe benefacere ait Hebræis propter Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, propter Moſem, propter Davidem, ita in Novo federe bene facit credentibus in Chriſtum propter Chriſtum, quo nullum amavit ardentius, vide Matth. III,17.

ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων, *in quo habemus redemtionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum.*] Sicut in veteri lege non obtinebatur venia eorum quæ in eo ſtatu veniam accipere poterant, niſi cruenta morte victimæ, ita in novo federe remittit Deus peccata credentibus in Chriſtum, ideo quia Chriſtus id ſua morte cruenta, quippe ſacrificio perfectiſſimo, Deoque gratiſſimo, pleno obedientiæ, demiſſionis, dilectionis & patientiæ, ab ipſo nobis impetravit. ἀπολύτρωσις eſt pleniſſima liberatio, à reatu ſcilicet. quanquam autem vox ἀπολύτρωσις tralatione quadam ad liberationem quamvis referri interdum ſolet, in hoc tamen argumento talem intelligi liberationem quæ non ſine magno impendio fiat, oſtendit locus Matth. XX, 28. ubi Chriſti

Chriſti vita nobis impenſa λύτρον *redemtio* dicitur. Philo: ὁ σπουδαῖος τοῦ φαύλου λύτρον, *vir bonus hominis mali redemtio.*

κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ, *ſecundum divitias gratiæ ejus.*] id eſt pro uberrima ſui bonitate ut & infra II, 7. Sic πλοῦτος χρηστότητος *divitiæ bonitatis* Rom. II, 4. πλοῦτος δόξης *divitiæ gloriæ* Rom. IX, 23. & infra hic ℣.18. & III,16. & Coloſ. I, 27. Sic & πλοῦτος πληροφορίας τῆς συνέσεως, *divitiæ plenitudinis intellectus* Coloſſ. II,2.

v. 8. ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς, *quæ ſuperabundavit in nobis.*] περισσεύειν *abundare*, alibi de eo qui accipit aut habet dicitur. Hic vero ut & II Cor. IX, 8, & 12. & I Theſ. III,12, de liberaliter dante.

ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει, *in omni ſapientia & prudentia.*] Eo ſcilicet quod nobis omnem eam ſapientiam & cognitionem dedit quæ ad ſalutem ſufficit, quæ φρόνησις δικαίων *prudentia juſtorum* Luc. I,17. Hunc ſenſum monſtrant & explicant quę ſequuntur. oppoſita hæc ſunt ei eruditioni de qua Græci & Aſiatici gloriabantur.

v. 9. γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ.*] μυστήριον θελήματος, *ſacramentum voluntatis*, Hebræo loquendi genere

nere eſt conſilium arcanum, id eſt quod diu latuit. Sic μυστηρίου *ſacramenti*, voce intelligi τὸ ἀγνοούμενον *id quod ignotum eſt*, in epiſtolam ad Romanos XI, 25. & I Cor. XV, 51, notavit Chryſoſtomus. Sacramentum voluntatis vertit Tertullianus. Fuerat hoc conſilium diu non hominibus tantum ſed & Angelis ignotum. I Petr. I, 12. Iuſtinus epiſtola ad Diognetum, ἐννοήσας δὲ μεγάλην καὶ ἄφραστον ἔννοιαν, ἣν ἐκοινώσατο μόνῳ τῷ παιδί· ἐν ὅσῳ μὲν οὖν κατεῖχεν ἐν μυστηρίῳ καὶ διετήρει τὴν σοφὴν αὐτοῦ βουλὴν, ἀμελεῖν ἡμῶν καὶ ἀφροντιστεῖν ἐδόκει· ἐπεὶ δὲ ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ ἀγαπητοῦ παιδὸς καὶ ἐφανέρωσε τὰ ἐξ ἀρχῆς ἡτοιμασμένα, πάνθ᾽ ἅμα παρέσχεν ἡμῖν: *expende autem magnum illud & inexplicabile conſilium quod ſoli aperuit filio. Quamdiu in arcano clauſit ſecumque continuit ſapientem voluntatem, negligere nos & extra curam ſuam ponere videbatur. At ex quo per dilectum filium aperuit & manifeſta nobis fecit quæ ab initio præparaverat, una omnia nobis præbuit.* & quæ ſequuntur. Quod autem hoc fuerit conſilium, explicant ſequentia.

κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, *ſecundum beneplacitum ejus quod propoſuit in ſemetipſo.*] Sæpe aut iiſdem aut mutatis verbis inculcat, & ex libero hoc decreto fluere,

fluere, & ex antiquiſſimo : illud, ne Deum ſuo jure utentem, ad rationes vocemus : hoc, ne ſuſpecta ſit novitas : ac ne Iudæi ſe antiquitate jactent. ἐν αὐτῷ eſt hic ut alibi ſæpe ἐν ἑαυτῷ, intra ſe.

v. 10. εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, *ad diſpenſationem plenitudinis temporum.*] οἰκονομεῖν eſt penum aſſervatam diſtribuere, ut Lucæ xvi, 2, & ſequentibus. Latiniſſime id dicitur diſpenſare, unde munus diſpenſatorum. Sic conſilii illius diſtributio in Iudæos & Gentes οἰκονομίας *diſpenſationis*, dicitur nomine 1 Cor. ix, 17. Hic infra iii, 2. Et in illa ad Coloſſenſes, hujus epiſtolæ velut conſanguinea, ii, 2. & 1 Tim. i, 4. ideo retinuerat apud ſe illud Deus, ut convenienti tempore publicaret. Πλήρωμα τῶν καιρῶν, *plenitudo temporum*, quod & πλήρωμα χρόνων Gal. iv, 4. eſt tempus illud quo vaticinia pleraque ac potiſſima impleta ſunt eventumque habuere.

ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ χριστῷ, *inſtaurare omnia in Chriſto.*] Ærum collectio ſive ſumma κεφάλαιον Græcis, Hebræis eſt תכן aut פתכות, Chaldæis סכין unde verbum Chaldaicum הסכין, ἀνακεφαλαιοῦν colligere æra : quæ voces deinde per tralationem à ſimili ad qualemcunque collectionem cepere aptari. Sic qui diſperſos milites

milites in unum agmen contrahit recte dici poteſt ἀνακεφαλαιῦν, quæ ſignificatio huic loco maxime convenit. *τὰ πάντα omnia* intellige *τὰ νοερὰ, intellectu utentia: ἐν τῷ χριστῷ, in Chriſto*, id eſt ſub Chriſto duce.

τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, quæ in cœlis.] Antea inter Angelos factiones erant & ſtudia pro populis. Vide Danielem x, 13. Et adde Iobum IV, 18. & ea quæ de Angelis dicit Hieronymus adverſus Iovinianum II, & Maximus in dialogo. Ea ſuſtulit Chriſtus, rex factus etiam Angelorum, unum ex tot populis ſibi populum colligens, cui Angeli miniſterium nunc debeant. Hebr. I, 14. vide exemplum Actor. V, 19. XII, 11. XVI, 26. XXVII, 23, 44. Adde Matth. XVIII, 10. & I Cor. XI, 10. ubi de Angelis orationis agitur, quorum & liber Hebræus Chaſidin meminit & Tertullianus, libro de oratione. Philo: *περὶ φιλανθρωπίας, de humanitate*, eoſdem vocat ἐφόρους κατὰ τὴν σοφῶν ἐμπειρίαν, θεασαμένους μή τι τῆς ᾠδῆς ἐκμελὲς, *inſpectores, ut docet ſapientum experientia, ne quid in cantu ſit abſonum.* Ad Chriſti regnum quod in Angelos eſt adeptus, nonnulli referunt id quod eſt Coloſſ. I, 16. quia κτίζειν *creare*, ſæpe ordinationem novam ſignificat. certe ut pleraque epiſtolæ ad Coloſſenſes cum hac epiſtola congru-

unt, ita & locus iſte huic lucem adferre & viciſſim ab eo lucem mutuari videtur. Angeli infenſi Gentibus ob idololatricos cultus favent iiſdem ad Chriſtum converſis.

καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, *& quæ in terra ſunt.*] Iudæos & ex Gentibus genitos, quotquot vocationi obtemperant, rupto interſepto: ſublato inſuper odio quod maximum fuerat. Nam ſicut Iudæi illos alienigenas habebant pro hominibus abominandis, in quos nec homicidium nec adulterium committi poſſet, cum ipſos ducerent feris deteriores, & nuptias eorum innuptas, ut ex Ioſepho Albo, Moſe Maimonide, Bachai & aliis in explicatione Deut. xxi, 11 diſcimus, ita viciſſim hi Iudæos habebant pro hoſtibus Deorum immortalium, ut Cicero pro Flacco nos docet, & pro violatoribus humanæ ſocietatis, ut ex Apollonio, Molone, Diodoro Siculo, aliiſque multis apparet. Quod ſi Deum reſpicimus, per multa ſæcula ſoli Iudæi Dei populus: nunc omnes in Chriſtum credentes Chriſti, & per Chriſtum Dei populus. Iudæi ipſi quoque, contemta vera pietate, & in ſolis ritibus poſita inani fiducia, plerique Deo inviſi. Nunc mutata omnia, conciliati & Deo & inter ſe utriuſque generis homines, qui vocationi paruere.

ἐν αὐτῷ, *in ipſo.*] Satis fuerat quod præceſſit ἐν χριστῷ, ſed repetere id voluit, quo magis animis legentium imprimeret, unum eſſe cælitum & terras colentium, piorum ſcilicet, regem. Matt. XXVIII, 18.

v. 11. ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν, *in quo etiam nos ſortem adepti ſumus.*] Cujus patrimonium nos facti ſumus. Κλῆροι dicebantur in populo Hebræo terræ quæ in prima diviſione cuique obtigerant: quia ſcilicet prima diviſio ibi ſorte facta fuerat, ut & in aliis gentibus, unde hæredes dicti κληρονόμοι. Hinc deducta ſimilitudine populus Hebræus olim dictus κλῆρος Dei. Deut. IV, 20. IX, 26. XXXII, 9. 1 Reg. VIII, 51. Nunc vero ii qui in Chriſtum credunt, 1 Petr. V, 3. Significat hæc vox Deum tales, qua ſcilicet tales ſunt & manent, perpetuo pro ſuis habere velle, ſicut res ſoli apud Hebræos in familia manebant, nec alienari poterant ut res mobiles. loquitur autem hic proprie de Iudæis qui priores ſunt vocati. Matth. X, 5. XV, 24. Actor. XIII, 36. mox ad alios credentes deducturus orationem, ut recte obſervavit Tertullianus adverſus Marcionem libro quinto.

προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν, *prædeſtinati ſecundum propoſitum.*] quod generaliter ſupra dixerat, id deſtributo humano genere

in duas partes Iudæis, ut prius vocatis, priùs aptat. itaque idem hic eſt πρόθεσις *propoſitum*, quod ſupra εὐδοκία.

τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *ejus qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*] circumlocutione ad rem valde appoſita Deum deſignat, ut intelligamus revelationem Euangelii (de eo enim & rebus inde pendentibus hic agitur, ut ſolet vox τὰ πάντα, *omnia*, ad id negotium de quo agitur adſtringi) fluxiſſe non ex alio fonte, quam ex liberrima Dei conſtitutione.

v. 12. εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, *ut ſimus in laudem gloriæ ejus.*] Vnde fit ut noſtro miniſterio ipſe meritiſſimas laudes aſſequatur. vide quæ ſupra.

τοὺς προηλπικότας ἐν τῷ χριστῷ, *nos qui ante ſperavimus in Chriſto.*] Nos ſcilicet Iudæos.

v. 13. ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ὑμῶν, *in quo & vos cum audiſſetis verbum veritatis, Euangelium ſalutis veſtræ.*] Vos nimirum Epheſii Chriſtiani jam facti. Euangelium, λόγος ἀληθείας, *verbum veritatis*, opponitur umbris antiquæ legis, ita ut veritas ſoliditatem ſimul ſignificet. Iohan. I, 17. Roman. xv, 8. Hebr. IX, 24. primum quod

quod exigitur eſt, ut audiatur Euangelium.

ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες, in quo & credentes.] Alterum ut fides ei habeatur. Rectus ſermo fuerat καὶ αὐτῷ πιστεύσαντες, *& ipſi credentes.* Sed Apoſtoli minutas illas conſtructionis regulas non curabant: itaque genera, caſus, pronomina ſæpe commutabant, verborum incurioſi cum tantæ res mentem ambirent.

ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto.] Quid magis ſtupendum, quam gentes illas à Deo alienas, ab Hebræis contemtas, non modo ad pietatem converſas, ſed & prophetis æquatas, donis linguarum, ſanationum, vaticiniorum, aliiſque ſimilibus? Sed auget rei magnitudinem, quod hoc ipſum futurum prophetæ ſignificaverant, ut Ioel III, 1. & Chriſtus diſerte promiſerat Marci XVI, 17. Luc. XXIV, 49. Ioh. VII, 38, 39. Sicut autem ſignum annuli impreſſum tabulis contractus, firmum atque indubitabile reddit quod actum eſt, ita & dona illa credentes de Dei in ſe paterna benevolentia dubitare non ſinebant. Rom. V, 5. VIII, 15, 16. Eodem ſenſu uſurpatur vox σφραγίζεσθαι, *ſignare,* II Cor. I, 22. Frequens autem eſt ſanctis ſcriptoribus

ribus ut in una re explicanda plures adhibeant ſimilitudines, idque permixte: Sic vita æterna, pretium & hæreditas: dona ſpiritus, ſigilli impreſſio & arrhabo. Notandum autem hanc obſignationem non datam niſi jam credentibus. Ioh. xiv, 17. Galat. iv, 6. Et opponitur hæc obſignatio ut multo dignior, ea quæ Iudæis erat data, qui in cute ſignabantur, ut Samphoræ & Coppatiæ.

V. 14. ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, *qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.*] Sic & alibi dona iſta arræ vocabulo appellat, ut dicto loco ii ad Cor. i, 22. & v, 5. Vox ἀῤῥαβὼν non Græca eſt origine, ſed Syriaca ערבון ut apparet Gen. xxxviii, 17. à voce ערב quod ſpondere ſignificat. Nimirum à Phœnicibus, mercatoribus antiquiſſimis, hanc vocem Græci per commercia accepere. Eſt autem arrhabo, ſive ut Latini brevius dicunt, arra, pars pretii data in anteceſſum, ut de toto pretio ſecuturo fides fiat. Sic illa dona ex cælo venientia, pars quædam erant futuræ felicitatis & rei principalis ſecuturæ (quæ quod perpetuo jure Chriſtianos ſequebatur hæreditas dicitur) fidem ipſis faciebant certiſſimam. Sic ne factæ paci diffidatur, obſides dari ſolent.

εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, in redemtionem acquiſitionis.] id eſt arrhabo ille nos certos facit ſecuturæ beatæ reſurrectionis. *ἀπολύτρωσις redemtio*, præter eam quæ eſt à vitiorum conſuetudine, duplex in novo fœdere memoratur, prior à peccatorum reatu, quæ credentibus promittitur, altera à miſeriis & morte ipſa, quæ nihil eſt aliud quam beata quam dixi reſurrectio: quæ eodem nomine appellatur Rom. VIII, 23. & infra IV, 30. *περιποίησις acquiſitio*, vero hic optime intelligetur Eccleſia ſive univerſitas Chriſtianorum quæ Petro I, II, 9. *λαὸς εἰς περιποίησιν, populus acquiſitionis.* Vocatur autem ſic Eccleſia Dei reſpectu qui eam *περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, acquiſivit per ſanguinem ſuum*, id eſt per mortem cruentam filii ſui. Plus aliquanto eſt in voce *περιποιήσεως acquiſitionis*, quam in voce *κλήρου ſortis*, quam ante habuimus. *κλῆρος ſors*, jus proprium perpetuumque ſignificat, *περιποίησις acquiſitio*, & hoc, & modum acquirendi, gravem ac laborioſum. Solemus autem plurimi ea facere quæ magno nobis conſtant.

εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, in laudem gloriæ ipſius.] Sæpe id repetit, ne unquam obliviſcamur Deo pro tot beneficiis gratias agere, primum pro vocatione, deinde

tiverit, pro Deo reſponderi poteſt: Non licet mihi de meo facere quod volo? Matt. xx, 15. & miſerebor cujus miſerebor. Rom IX, 15. Sic חפץ poni de decretis quorum cauſa ignoratur notat Abrabaniel ad Eſaiam LIII, 10. Servius ad initium tertiæ Æneidos: *quotieſcunque ratio vel judicium non apparet, ſic viſum, interponitur.* Sic Mundum à Deo conditum ἐξ εὐδοκίας *ex lubitu*, ait Rabbi Iſrael ex Rabbi Ioſepho filio Carnitolis.

V. 6. εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.*] Non hic finis Dei primarius indicatur, ſed id quod æquum eſt nos pro ſummis beneficiis Deo reddere. 1 Petr. II, 8. 1 Cor. VI, 19, 20. Neque vero quicquam à nobis proficiſci poteſt, quod naturæ noſtræ ſit convenientius, aut Deo gratius, vide Pſal. L, 14, & ſequentibus. Agitur autem hic de ea laude & gratiarum actione quæ ſtatum adoptionis conſequitur.

ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, *in qua gratificavit nos.*] χάρις eſt beneficium: χαριτοῦν afficere beneficio, reſpondens plane Hebræo חנן. Eſt autem ἐν χάριτι χαριτοῦν *gratificari gratia.* Hebraicus πλεονασμὸς *abundantia ſermonis*, aut potius locutio ἐνεργητικὴ *efficax locutio*, ut morte mori, ſervitutem

tem ſervire, & mille ejus generis alia.

ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, in dilecto.] ἐν pro propter, ut infra III, 19. & alibi. Sicut Deus in fœdere veteri ſæpe ſe benefacere ait Hebræis propter Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, propter Moſem, propter Davidem, ita in Novo fœdere bene facit credentibus in Chriſtum propter Chriſtum, quo nullum amavit ardentius, vide Matth. III, 17.

ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων, in quo habemus redemtionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum.] Sicut in veteri lege non obtinebatur venia eorum quæ in eo ſtatu veniam accipere poterant, niſi cruenta morte victimæ, ita in novo fœdere remittit Deus peccata credentibus in Chriſtum, ideo quia Chriſtus id ſua morte cruenta, quippe ſacrificio perfectiſſimo, Deoque gratiſſimo, pleno obedientiæ, demiſſionis, dilectionis & patientiæ, ab ipſo nobis impetravit. ἀπολύτρωσις eſt pleniſſima liberatio, à reatu ſcilicet. quanquam autem vox ἀπολύτρωσις tralatione quadam ad liberationem quamvis referri interdum ſolet, in hoc tamen argumento talem intelligi liberationem quæ non ſine magno impendio fiat, oſtendit locus Matth. xx, 28. ubi

Chriſti

Chriſti vita nobis impenſa λύτρον *redemtio* dicitur. Philo: ὁ σπουδαῖος τοῦ φαύλου λύτρον, *vir bonus hominis mali redemtio.*

κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ, *ſecundum divitias gratiæ ejus.*] id eſt pro uberrima ſui bonitate ut & infra II, 7. Sic πλοῦτος χρηστότητος *divitiæ bonitatis* Rom. II, 4. πλοῦτος δόξης *divitiæ gloriæ* Rom. IX, 23. & infra hic ꝟ. 18. & III, 16. & Coloſ. I, 27. Sic & πλοῦτος πληροφορίας τῆς συνέσεως, *divitiæ plenitudinis intellectus* Coloſſ. II, 2.

v. 8. ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς, *quæ ſuperabundavit in nobis.*] περισσεύειν *abundare*, alibi de eo qui accipit aut habet dicitur. Hic vero ut & II Cor. IX, 8, & 12. & I Theſ. III, 12, de liberaliter dante.

ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει, *in omni ſapientia & prudentia.*] Eo ſcilicet quod nobis omnem eam ſapientiam & cognitionem dedit quæ ad ſalutem ſufficit, quæ φρόνησις δικαίων *prudentia juſtorum* Luc. I, 17. Hunc ſenſum monſtrant & explicant quę ſequuntur. oppoſita hæc ſunt ei eruditioni de qua Græci & Aſiatici gloriabantur.

v. 9. γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ.*] μυστήριον θελήματος, *ſacramentum voluntatis*, Hebræo loquendi genere

nere eſt conſilium arcanum, id eſt quod diu latuit. Sic μυστηρίου *ſacramenti*, voce intelligi τὸ ἀγνοούμενον *id quod ignotum eſt*, in epiſtolam ad Romanos xi, 25. & 1 Cor. xv, 51, notavit Chryſoſtomus. Sacramentum voluntatis vertit Tertullianus. Fuerat hoc conſilium diu non hominibus tantum ſed & Angelis ignotum. 1 Petr. 1, 12. Iuſtinus epiſtola ad Diognetum, ἐννοήσας δὲ μεγάλην καὶ ἄφραστον ἔννοιαν, ἣν ἐκοινώσατο μόνῳ τῷ παιδί, ἐν ὅσῳ μὲν οὖν κατεῖχεν ἐν μυστηρίῳ καὶ διετήρει τὴν σοφὴν αὐτοῦ βουλήν, ἀμελεῖν ἡμῶν καὶ ἀφροντιστεῖν ἐδόκει· ἐπεὶ δὲ ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ ἀγαπητοῦ παιδὸς καὶ ἐφανέρωσε τὰ ἐξ ἀρχῆς ἡτοιμασμένα, πάνθ' ἅμα παρέσχεν ἡμῖν: *expende autem magnum illud & inexplicabile conſilium quod ſoli aperuit filio. Quamdiu in arcano clauſit ſecumque continuit ſapientem voluntatem, negligere nos & extra curam ſuam ponere videbatur. At ex quo per dilectum filium aperuit & manifeſta nobis fecit quæ ab initio præparaverat, una omnia nobis præbuit.* & quæ ſequuntur. Quod autem hoc fuerit conſilium, explicant ſequentia.

κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, *ſecundum beneplacitum ejus quod propoſuit in ſemetipſo.*] Sæpe aut iiſdem aut mutatis verbis inculcat, & ex libero hoc decreto fluere,

fluere, & ex antiquiſſimo : illud, ne Deum ſuo jure utentem, ad rationes vocemus : hoc, ne ſuſpecta ſit novitas : ac ne Iudæi ſe antiquitate jactent. ἐν αὐτῷ eſt hic ut alibi ſæpe ἐν ἑαυτῷ, intra ſe.

V. 10. εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, *ad diſpenſationem plenitudinis temporum.*] οἰκονομεῖν eſt penum aſſervatam diſtribuere, ut Lucæ xvi, 2, & ſequentibus. Latiniſſime id dicitur diſpenſare, unde munus diſpenſatorum. Sic conſilii illius diſtributio in Iudæos & Gentes οἰκονομίας *diſpenſationis,* dicitur nomine 1 Cor. ix, 17. Hic infra iii, 2. Et in illa ad Coloſſenſes, hujus epiſtolæ velut conſanguinea, ii, 2. & 1 Tim. i, 4. ideo retinuerat apud ſe illud Deus, ut convenienti tempore publicaret. Πλήρωμα τῶν καιρῶν, *plenitudo temporum,* quod & πλήρωμα χρόνων Gal. iv, 4. eſt tempus illud quo vaticinia pleraque ac potiſſima impleta ſunt eventùmque habuere.

ἀνακεφαλαιοῦσθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, *inſtaurare omnia in Chriſto.*] Ærum collectio ſive ſumma κεφάλαιον Græcis, Hebræis eſt תכן aut פקכות, Chaldæis סכין unde verbum Chaldaicum פסכין, ἀνακεφαλαιοῦν colligere æra : quæ voces deinde per tralationem à ſimili ad qualemcunque collectionem cepere aptari. Sic qui diſperſos

milites

milites in unum agmen contrahit recte dici poteſt ἀνακεφαλαιοῦν, quæ ſignificatio huic loco maxime convenit. τὰ πάντα *omnia* intellige τὰ νοερὰ, *intellectu utentia*: ἐν τῷ χριστῷ, *in Chriſto*, id eſt ſub Chriſto duce.

τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *quæ in cælis.*] Antea inter Angelos factiones erant & ſtudia pro populis. Vide Danielem x, 13. Et adde Iobum IV, 18. & ea quæ de Angelis dicit Hieronymus adverſus Iovinianum II, & Maximus in dialogo. Ea ſuſtulit Chriſtus, rex factus etiam Angelorum, unum ex tot populis ſibi populum colligens, cui Angeli miniſterium nunc debeant. Hebr. I, 14. vide exemplum Actor. V, 19. XII, II. XVI, 26. XXVII, 23, 44. Adde Matth. XVIII, 10. & I Cor. XI, 10. ubi de Angelis orationis agitur, quorum & liber Hebræus Chaſidin meminit & Tertullianus, libro de oratione. Philo: περὶ φιλανθρωπίας, *de humanitate*, eoſdem vocat ἐφόρους κατὰ τὴν σοφῶν ἐμπειρίαν, ἐπισκοποῦντας μή τι τῆς ᾠδῆς ἐκμελὲς, *inſpectores, ut docet ſapientum experientia, ne quid in cantu ſit abſonum.* Ad Chriſti regnum quod in Angelos eſt adeptus, nonnulli referunt id quod eſt Coloſſ. I, 16. quia κτίζειν *creare*, ſæpe ordinationem novam ſignificat. certe ut pleraque epiſtolæ ad Coloſſenſes cum hac epiſtola congru-

unt, ita & locus iſte huic lucem adferre & viciſſim ab eo lucem mutuari videtur. Angeli infenſi Gentibus ob idololatricos cultus favent iiſdem ad Chriſtum converſis.

καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, *& quæ in terra ſunt.*] Iudæos & ex Gentibus genitos, quotquot vocationi obtemperant, rupto interſepto: ſublato inſuper odio quod maximum fuerat. Nam ſicut Iudæi illos alienigenas habebant pro hominibus abominandis, in quos nec homicidium nec adulterium committi poſſet, cum ipſos ducerent feris deteriores, & nuptias eorum innuptas, ut ex Ioſepho Albo, Moſe Maimonide, Bachai & aliis in explicatione Deut. xxi, 11 diſcimus, ita viciſſim hi Iudæos habebant pro hoſtibus Deorum immortalium, ut Cicero pro Flacco nos docet, & pro violatoribus humanæ ſocietatis, ut ex Apollonio, Molone, Diodoro Siculo, aliiſque multis apparet. Quod ſi Deum reſpicimus, per multa ſæcula ſoli Iudæi Dei populus: nunc omnes in Chriſtum credentes Chriſti, & per Chriſtum Dei populus. Iudæi ipſi quoque, contemta vera pietate, & in ſolis ritibus poſita inani fiducia, plerique Deo inviſi. Nunc mutata omnia, conciliati & Deo & inter ſe utriuſque generis homines, qui vocationi paruere.

ἐν αὐτῷ, *in ipſo.*] Satis fuerat quod præceſſit ἐν χριστῷ, ſed repetere id voluit, quo magis animis legentium imprimeret, unum eſſe cælitum & terras colentium, piorum ſcilicet, regem. Matt. XXVIII, 18.

v. 11. ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν, *in quo etiam nos ſortem adepti ſumus.*] Cujus patrimonium nos facti ſumus. Κλῆροι dicebantur in populo Hebræo terræ quæ in prima diviſione cuique obtigerant: quia ſcilicet prima diviſio ibi ſorte facta fuerat, ut & in aliis gentibus, unde hæredes dicti κληρονόμοι. Hinc deducta ſimilitudine populus Hebræus olim dictus κλῆρος Dei. Deut. IV, 20. IX, 26. XXXII, 9. 1 Reg. VIII, 51. Nunc vero ii qui in Chriſtum credunt, 1 Petr. V, 3. Significat hæc vox Deum tales, qua ſcilicet tales ſunt & manent, perpetuo pro ſuis habere velle, ſicut res ſoli apud Hebræos in familia manebant, nec alienari poterant ut res mobiles. loquitur autem hic proprie de Iudæis qui priores ſunt vocati. Matth. X, 5. XV, 24. Actor. XIII, 36. mox ad alios credentes deducturus orationem, ut recte obſervavit Tertullianus adverſus Marcionem libro quinto.

προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν, *prædeſtinati ſecundum propoſitum.*] quod generaliter ſupra dixerat, id deſtributo humano genere

in duas partes Iudæis, ut prius vocatis, priùs aptat. itaque idem hic eſt πρόθεσις *propoſitum*, quod ſupra εὐδοκία.

τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *ejus qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*] circumlocutione ad rem valde appoſita Deum deſignat, ut intelligamus revelationem Euangelii (de eo enim & rebus inde pendentibus hic agitur, ut ſolet vox τὰ πάντα, *omnia*, ad id negotium de quo agitur adſtringi) fluxiſſe non ex alio fonte, quam ex liberrima Dei conſtitutione.

v. 12. εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, *ut ſimus in laudem gloriæ ejus.*] Vnde fit ut noſtro miniſterio ipſe meritiſſimas laudes aſſequatur. vide quæ ſupra.

τοὺς προηλπικότας ἐν τῷ Χριστῷ, *nos qui ante ſperavimus in Chriſto.*] Nos ſcilicet Iudæos.

v. 13. ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ὑμῶν, *in quo & vos cum audiſſetis verbum veritatis, Euangelium ſalutis veſtræ.*] Vos nimirum Epheſii Chriſtiani jam facti. Euangelium, λόγος ἀληθείας, *verbum veritatis*, opponitur umbris antiquæ legis, ita ut veritas ſoliditatem ſimul ſignificet. Iohan. 1, 17. Roman. xv, 8. Hebr. ix, 24. primum quod

quod exigitur eſt, ut audiatur Euangelium.

ἐν ᾧ καὶ πιςεύσαντες, in quo & credentes.] Alterum ut fides ei habeatur. Rectius ſermo fuerat *καὶ αὐτῷ πιςεύσαντες, & ipſi credentes.* Sed Apoſtoli minutas illas conſtructionis regulas non curabant: itaque genera, caſus, pronomina ſæpe commutabant, verborum incurioſi cum tantæ res mentem ambirent.

ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.] Quid magis ſtupendum, quam gentes illas à Deo alienas, ab Hebręis contemtas, non modo ad pietatem converſas, ſed & prophetis æquatas, donis linguarum, ſanationum, vaticiniorum, aliiſque ſimilibus? Sed auget rei magnitudinem, quod hoc ipſum futurum prophetæ ſignificaverant, ut Ioel III, 1. & Chriſtus diſerte promiſerat Marci XVI, 17. Luc. XXIV, 49. Ioh. VII, 38, 39. Sicut autem ſignum annuli impreſſum tabulis contractus, firmum atque indubitabile reddit quod actum eſt, ita & dona illa credentes de Dei in ſe paterna benevolentia dubitare non ſinebant. Rom. V, 5. VIII, 15, 16. Eodem ſenſu uſurpatur vox *σφραγίζεσθαι, ſignare,* II Cor. I, 22. Frequens autem eſt ſanctis ſcripto-

ribus ut in una re explicanda plures adhibeant ſimilitudines, idque permixte: Sic vita æterna, pretium & hæreditas: dona ſpiritus, ſigilli impreſſio & arrhabo. Notandum autem hanc obſignationem non datam niſi jam credentibus. Ioh. xiv, 17. Galat. iv, 6. Et opponitur hæc obſignatio ut multo dignior, ea quæ Iudæis erat data, qui in cute ſignabantur, ut Samphoræ & Coppatiæ.

V. 14. ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, *qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.*] Sic & alibi dona iſta arræ vocabulo appellat, ut dicto loco II ad Cor. I, 22. & v, 5. Vox ἀῤῥαβὼν non Græca eſt origine, ſed Syriaca ערבון ut apparet Gen. xxxviii, 17. à voce ערב quod ſpondere ſignificat. Nimirum à Phœnicibus, mercatoribus antiquiſſimis, hanc vocem Græci per commercia accepere. Eſt autem arrhabo, ſive ut Latini brevius dicunt, arra, pars pretii data in anteceſſum, ut de toto pretio ſecuturo fides fiat. Sic illa dona ex cælo venientia, pars quædam erant futuræ felicitatis & rei principalis ſecuturæ (quæ quod perpetuo jure Chriſtianos ſequebatur hæreditas dicitur) fidem ipſis faciebant certiſſimam. Sic ne factæ paci diffidatur, obſides dari ſolent.

εἰς

εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, *in redemtionem acquiſitionis.*] id eſt arrhabo ille nos certos facit ſecuturæ beatæ reſurrectionis. ἀπολύτρωσις *redemtio*, præter eam quæ eſt à vitiorum conſuetudine, duplex in novo fœdere memoratur, prior à peccatorum reatu, quæ credentibus promittitur, altera à miſeriis & morte ipſa, quæ nihil eſt aliud quam beata quam dixi reſurrectio: quæ eodem nomine appellatur Rom. VIII,23. & infra IV, 30. περιπόιησις *acquiſitio*, vero hic optime intelligetur Eccleſia ſive univerſitas Chriſtianorum quæ Petro I,II,9. λαὸς εἰς περιποίησιν, *populus acquiſitionis*. Vocatur autem ſic Eccleſia Dei reſpectu qui eam περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, *acquiſivit per ſanguinem ſuum*, id eſt per mortem cruentam filii ſui. Plus aliquanto eſt in voce περιποιήσεως *acquiſitionis*, quam in voce κλήρου *ſortis*, quam ante habuimus. κλῆρος *ſors*, jus proprium perpetuumque ſignificat, περιποίησις *acquiſitio*, & hoc, & modum acquirendi, gravem ac laborioſum. Solemus autem plurimi ea facere quæ magno nobis conſtant.

εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, *in laudem gloriæ ipſius.*] Sæpe id repetit, ne unquam obliviſcamur Deo pro tot beneficiis gratias agere, primum pro vocatione, deinde

pro jure dato ad vitam æternam, præterea vero quod ejus juris certos nos fecerit.

v. 15. διὰ τοῦτο, *propterea.*] Quia tenemur Dei benefacta grato animo agnoſcere.

ἀκούσας τὴν καθ' ὑμᾶς πίστιν ἐν τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ, *& ego audiens fidem veſtram quæ eſt in Domino Ieſu.*] id eſt εἰς τὸν Κύριον Ἰησοῦν. Sæpe enim tales particulas permutant hi ſcriptores.

καὶ τὴν ἀγάπην εἰς πάντας τοὺς ἁγίους, *& dilectionem in omnes ſanctos.*] Recte hanc adjunxit, quia ea demum fides ſalutem adfert quæ per dilectionem, dato tempore, ſe oſtendit. Vide Iacobum. fidem & dilectionem θαυμαστὴν ξυνωρίδα, Græci vocant doctores.

v. 16. οὐ παύομαι εὐχαριστῶν ὑπὲρ ὑμῶν, *non ceſſo gratias agens pro vobis.*] Non pro nobis tantum, ſed & pro fratribus gratias Deo debemus: & hæc pars eſt aliqua noſtræ concorporationis.

μνείαν ὑμῶν ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου, *memoriam veſtri faciens in orationibus meis.*] Cum gratiarum actione plerunque Apoſtolus preces jungit: illæ ad præteritum, hæ ad futurum referuntur.

v. 17. ἵνα ὁ θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, *ut Deus domini noſtri Ieſu Chriſti.*]

Deus

Deus Chriſti pater & ipſius & noſter Deus dicitur Iohan. xx, 17. Reſpondet nimirum hic vox θεὸς *Deus*, Hebrææ אלהים quæ jus atque imperium ſignificat.

ὁ πατὴρ τῆς δόξης, *pater gloriæ.*] Futuræ claritatis auctor primarius.

δώῃ ὑμῖν πνεῦμα σοφίας, *det vobis ſpiritum ſapientiæ.*] Spiritus ſanctus qui fidem ſubſequitur, tum alia adfert, tum etiam ut mens credentium magis magiſque illuſtretur ſapientia, non hujus ſæculi, qua gloriati olim erant Epheſii, ſed ſpirituali. Vide Actor. vi, 3. i Cor. ii, 6. ii Cor. i, 12. Coloſſ. i. 9, 28. Iac. i, 5.

καὶ ἀποκαλύψεως, *& revelationis.*] Hæc vox ſingularem quandam & eximiarum rerum non omnibus cognitarum patefactionem ſignificat i Cor. xiv, 6 & 26. Hic infra iii, 3.

ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ, *in agnitione ejus.*] ἐπίγνωσις proprie eſt major exactiorque cognitio ut Rom. iii, 20. Coloſſ. i, 10. ii Petri i, 2. Cognitionem autem Dei intellige, non naturæ divinæ imperſcrutabilis, ſed proprietatum ejus & conſiliorum actionumque ad nos pertinentium.

v. 18. πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ὑμῶν, *illuminatos oculos cordis veſtri.*] κατὰ πρόσθεσιν ἐξηγητικὴν *appoſitione ex-*

 plicante

plicante rem, explicat qualis ſit illa cognitio, in mentis, ut diximus, illuſtratione conſiſtens. *καρδία cor*, hic pro animo humano ponitur, cui mens pro oculis. Philo de mundi conditura: ὅπερ νοῦς ἐν ψυχῇ τοῦτ' ὀφθαλμὸς ἐν σώματι, *quod mens in animo & oculus in corpore*. Vide quæ multis ad eam rem notata ad Matth. VI, 22.

εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus.] Cum modum adipiſcendæ cognitionis deſignaſſet, jam & cognoſcendorum explicat præcipua. Spes vocationi propoſita, ἡ ἐλπὶς ἡ ἀποκειμένη ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *ſpes repoſita in cælis*. Coloſſ. I, 5. eſt vita illa immortalis ac beatiſſima, quam variis figuris explicant ſacræ literæ, convivii, veſtitus magnifici, Templi, regni, præterea verbis quam poſſunt efficaciſſimis oſtendunt ei ineſſe non tantum à malo liberationem, ſed & pleniſſimam bonorum, quæ nomine divitiarum, honoris, gaudii intelligi ſolent, poſſeſſionem, cum Deo ſimilitudinem, corpus, intellectum, voluntatem, perfectiſſima omnia, conſuetudinem cum Deo, Angelis, ſanctiſque omnium temporum ac locorum. Hæc atque his ſimilia ita per ſpiritum Deus imprimit mentibus piorum ut ea velut præſentia conſpiciant: præque

præque eis omnem hujus ſæculi pompam, vitæque commoda, vitam denique ipſam pro nihilo ducant. Vide Ioh. xii, 25, 26. 1 Cor. xv, 19.

καὶ τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας αὐτοῦ ἐν τοῖς ἁγίοις, *& quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis.*] Hæreditas ſanctis promiſſa cur dicatur illa beatitudo, ex antecedentibus apparet, nempe quod perpetua ſit nec à poſſeſſoribus alienetur. πλοῦτος δόξης *divitiæ gloriæ*, quæ cum ea beatitudine conjuncta eſt, eſt ſplendor eximius, cujus guſtum aliquem Apoſtolis ſuis Chriſtus dedit in monte. Vide loquendi genus ſimile ſupra 8.

v. 19. καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας, *& quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus.*] Illa beatitudo promiſſa non tantum ſummam Dei bonitatem, ſed & admirabilem ejus oſtendit potentiam. Vide Philipp. iii, 21. ubi hæc ipſa potentia ἐνεργείας *efficaciæ*, voce ſignificatur. Quod enim potentiæ majus argumentum, quam omnes qui unquam credidere ex mortuis vivos facere, & terrenæ compagis corpora meliora efficere cæleſtibus, & ſupra omnes cognitas cæli regiones illis domicilium ſemper manſurum dare? Quia

autem

autem non de quavis reſurrectione, ſed de beata agit, quæ תחיה Hebræis, ideo ad vocem ἡμᾶς, ne de omnibus hominibus loqui crederetur, adjecit τοὺς πιστεύοντας.

v. 20. κατὰ ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ ἣν ἐνήργησεν ἐν Χριστῷ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ τῶν νεκρῶν, *ſecundum operationem potentiæ virtutis ejus quam operatus eſt in Chriſto ſuſcitans illum à mortuis.*] cohærent hæc cum illis τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως, *ſupereminens magnitudo virtutis.* ut futuræ magis crederentur, Deus oculis humanis, quantum poſſet, in Chriſto, capite & duce noſtro, oſtendit. Illud futurum potentiæ documentum, huic jam exhibito reſpondebit, quod ſignificat præpoſitio κατά. Nec aliud eſt κράτος ἰσχύος *potentia virtutis*, quam ὑπερβάλλον μέγεθος δυνάμεως, *ſupereminens magnitudo virtutis.* Chriſtum à mortuis excitare potuit: poterit ergo & nos excitare. cui cum accedat apertiſſima promiſſio Dei & Chriſti, nihil eſt quod dubitemus. Sadducæis reſurrectionem negantibus optime Chriſtus, erratis, inquit, ignorantes ſcripturas, quæ ſcilicet id pollicentur, & Dei potentiam, quæ nimirum etiam eouſque ſe extendit. Matth. XXII, 29. Tertullianus hunc locum ſic vertit: *inoperatus eſt in Chriſtum valentiam ſuam, ſuſcitando eum à mortuis.*

καὶ

καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξίᾳ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, & conſtituens ad dextram ſuam in ſupercæleſtibus.] Sicut potentia Dei nos non tantum è mortuis excitatura eſt, ſed & maximis auctura honoribus & ſupra cælum collocatura, ita hoc quoque, non minus quam illud, in Chriſto apparere voluit. Nam Chriſtum in cælum ſublatum videre Apoſtoli: regnantem in majeſtate ſupercæleſti vidêre Stephanus, Paulus, Iohannes, alii. nec minus ejus rei teſtimonium eſt in Spiritu ſancto, quem ipſe, ut promiſerat, in Apoſtolos credenteſque è ſublimi regia miſit. Ergo quin nos quoque in ſummum honorem, noſtri tamen gradus, evehere poſſit, nulla dubitandi eſt ratio. Vide Ioh. XVII, 24. ἐπουράνια *ſupercæleſtia*, vocantur loca illa beatæ ſedis Matth. XVIII, 25. Ioh. III, 12. I Cor. XV, 40, 48, 49. in hac epiſtola aliquoties. Philip. II, 10. II Tim. IV, 18. in epiſtola ad Hebræos ſæpe, reſpectu ad illam cæli regionem quæ ſidera continet. Alioqui eadem regio etiam cælum vocatur Hebræis, & quidem tertium, ſupra aerem ætheremq;. Ad dextram ſedere locutio eſt orientis, proximam à rege dignitatem ſignificans. I Reg. II, 19. Pſal. XLV, 10. Sic apud Danielem ſolia poſita duo; interpretatur Rabbi Akiba, poſita

Deo

Deo & Meſſiæ. Et in Apocalypſi τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου καὶ τῷ ἀρνίῳ εὐλογία καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *ſedenti in throno & Agno benedictio & honor & gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* v, 13. vide quæ Matthæi xx, 21. Sicut autem ſolio Dei, ut loquitut ſcriptor ad Hebr. xii, 3. & Apoc. vii, 10. & xiv, 5. quod ſolium gloriæ כסא כבוד magiſtris Hebræis, proximum eſt ſolium Meſſiæ, ita Meſſiæ ſolio proxima ſolia Apoſtolorum, Lucæ xx, 30. deinde aliorum præconum Euangelii Apoc. iv, 4. ac poſtremo credentium omnium qui & ipſi regnabunt. ii Timot. ii, 12. Apoc. iii, 21. v, 10. xxii, 5. in ſuo ſcilicet ordine ac gradu.

v. 21. ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος, *ſupra omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem.*] Chriſti majeſtatem magis magiſque depingit, ut eo major etiam ſatraparum ejus, id eſt Chriſtianorum, honor intelligatur. Sunt autem iſta ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, δυνάμεις, κυριότητες, *principatus, poteſtates, virtutes, dominationes*, nomina ſublimiſſimarum claſſium Angelicarum frequentia apud Hebræos, ut apparet Rom. viii, 38. i Cor. xv, 24. Coloſſ. i, 16. deſumta ex nominibus dignitatum imperii Perſici, quaſi

quaſi dicas, ut ex Rcmano imperio poſteriore ſumamus nomina, Præfectos prætorio, Vicarios, Præſides, Comites. θρόνοι qui in epiſtola ad Coloſſenſes adduntur, ſunt reges: quales nonnulli erant ſub Magno Perſarum rege, qui ob id dictus βασιλεὺς βασιλέων. Chriſtus igitur omnibus illis etiam excelſiſſimis ſpiritibus imperare hic dicitur, ut rex regum & dominus dominantium.

καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. & omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo ſed & in futuro.] Si qui erunt ſpiritus illis quos deſignavimus digniores, puta quales apud Ezechielem nomine חיות obſcure denotari putantur ab Hebræis, (*αἰῶνας* eam vocem verterunt veteres Chriſtianorum hæretici ut & Tatianus) quorum in futuro ſæculo cognoſcentur vera nomina ac munera, etiam in illos imperium Chriſtus obtinet, nulla natura excepta, præter Patrem, 1 Cor. xv, 27.

v. 22. *καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus.*] id eſt poteſtatem ei dedit omnia inimica, ac poſtremo mortem ipſam, ſubjugandi. confer 1 Cor. xv, 27. Philip. III, 21.

καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ,

κλησίᾳ, *& ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam.*] In bonum Eccleſiæ obtinet hoc imperium. vide Hebr. I, 14.

V. 23. ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ, *quæ eſt corpus ipſius.*] Vide infra IV, 12, 15, 16, V, 23. Coloſſ. I, 18. Sicut in humano corpore ex capite defluens ſpiritus omnia membra continet, nutrit, augetque, ita Chriſti ſpiritus omnia Eccleſiæ membra: quod ſapienter admodum nos docet Paulus Coloſſ. II, 19. & alia ſimilitudine illuſtrat Chriſtus ipſe Iohannis V, initio capitis.

τὸ πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, *& plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimplet.*] πλήρωμα ſignificat tum id quod implet, ut Iohan. I, 16. Coloſſ. II, 9. tum id quod impletur, ut Rom. XI, 25. XV, 29. poſteriore ſenſu rectius hic accipias. Sic infra V, 18, πληροῦσθε ἐν πνεύματι, *implemini Spiritu ſancto,* & Coloſſ. II, 10. ἐστὲ ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, *eſtis in illo repleti qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis,* qui locus huic idem valet. Et ob id Eccleſia vocatur πλήρωμα *plenitudo*, in eadem ad Coloſſ. I, 19. Sic & quod ſequitur de Chriſto τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, *qui omnia in omnibus adimplet,* idem eſt quod infra IV, 10. ὁ ἀναβὰς

βὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα, *qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia.* Chriſtus in omnibus, credentibus ſcilicet, nam de iis hic agitur, omnia implet, mentem luce, voluntatem piis affectibus, corpus ipſum facultate obſequendi: ad quæ accedebant illis temporibus, quibus loquebatur Apoſtolus, admiranda illa χαρίσματα πνευματικὰ *dona ſpiritualia*, quorum ſupra meminit.

AD IACOBI
CAPVT SECVNDVM,
℣. 14, & ſequentibus.

℣. 14. Τί τὸ ὄφελος, ἀδελφοί μου, ἐὰν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν, ἔργα δὲ μὴ ἔχῃ; *quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?*] Cum hortatus ad opera benefica in proximum late executus eſſet Iacobus, neceſſitatem talium operum oſtendit ex periculo abſque eis non obtinendæ ſalutis. Si quis dicat, ex animo ſcilicet, ut modo ſumta eſt locutio ſimilis 14. Concedit Iacobus hoc ab aliquibus vere dici, fidem ſe habere, etiamſi opera non accedant, non eo ſenſu quo fides totam pietatem Chriſtianam, μετωνυμικῶς aut συνεκδοχικῶς, *per tranſnominationem aut complexionem*, ſignificat, ut Rom. x, 16. Tit. I, I. ſed illo quo aſſenſum veritati à Deo revelatæ præbitum indicat & à pœnitentia diſtinguitur, Marci I, 15. item à dilectione I Cor. XIII, 2. Galat. V, 6. Epheſ. VI, 23. I Tim. I, 14. II Tim. I, 13. & II, 22. & puritate Act. XV, 9. & bona conſcientia I Tim. I, 19.

qualem

qualem aſſenſum eſſe poſſe ſine profeſſione, ac proinde & ſine piis operibus, à quibus hic diſtinguitur, ut & Tit. III, 8 docemur, Ioh. XII, 42. Neque id mirum, cùm ſæpe locum habeat illud quod de Atheninſibus dicebant Spartani, ſcire eos quid rectum eſſet ſed facere nolle. Sic Medea apud Ovidium,

Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

Eadem in Græca tragœdia

καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾷν μέλλω κακὰ,
θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.
Nec me latet nunc quam cruenta cogitem,
Sed vincit ira ſanitatem pectoris.

Id eo evenit, quod voluntas in facultates miniſtras, imo & in ipſum intellectum ex parte aliqua, nempe ut hoc vel illud conſideret, atque in id ſe intendat, agit dominatus jure & obtemperari ſibi omnino facit. At intellectus, ut in libera republica oratores, perſuaſionibus agit in voluntatem, neque ſemper impetrat obſequium, ob eam libertatem quæ agnata ac propria eſt voluntati. Hinc fit, ut quo cognitio eſt lucidior, eo ſi voluntas non obſequatur pœna ſit gravior. Luc. XII, 47, 48. Rom. II, 21. Tertullianus; *Hæc erit vis divinæ gratiæ potentior utique natura, habens in nobis*

ſubjacentem ſibi liberam arbitrii poteſtatem, quod αὐτεξούσιον *dicitur; quæ cum ſit & ipſa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura convertitur. ineſſe autem nobis* τὸ αὐτεξούσιον *naturaliter, jam & Marcioni oſtendimus & Hermogeni.* Scriptor reſponſionum ad orthodoxos: τὸ ἀγαθοὺς ἡμᾶς εἶναι ἢ κακοὺς ὁ θεὸς, οὐκ ἐν τῇ γνώσει ἔθηκε τῶν γινωσκομένων, ἀλλ' ἐν τῇ αἱρέσει τῶν αἱρουμένων, *ut boni aut mali ſimus Deus non in cognitione poſuit eorum quæ cognoſcuntur, ſed in electione eorum quæ eliguntur*, qui cum optime conveniunt ea quę Iuſtinus ipſe Apologetico tum priore, tum poſteriore περὶ τῆς προαιρέσεως pie diſſerit, & quæ Irenæus libro IV, cap. 29. Non ergo talem fidem dari negat Iacobus, ſed utilitatem negat eſſe ab ea quæ ſperatur, contra quam docebant Simoniani. Vide Irenæum lib. I, cap. 20.

μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτόν; *numquid poterit fides ſalvare eum?*] Interrogatio hæc efficaciſſime negat. illud σῶσαι, *ſalvare*, ut plerumque in Novo Teſtamento eſt ad vitam æternam aliquem perducere. Opponi hic poteſt id quod dixit Chryſoſtomus oratione de Fide & Lege naturali & ſpiritu ſancto: ἄνευ ἔργων τὸν πιστὸν δύναμαι δεῖξαι καὶ ζήσαντα καὶ βασιλείας ἀξιωθέντα. οὐδεὶς ἄνευ πίστεως ἔζησεν. ὁ γὰρ λῃστὴς πιστεύσας μόνον ἐδικαιώθη.

καιώθη. καὶ μή μοι λέγε, οὐκ εἶχε καιρὸν πολιτεύεσθαι. οὐδὲ γὰρ ἐγὼ τοῦτο φιλονεικῶ. ἀλλ' ἐκεῖνο παρέστηκα. ὅτι ἡ πίστις καθ' ἑαυτὴν ἔσωσεν. εἰ γὰρ ἐπέζησε τῇ πίστει καὶ ἔργων ἠμέλησεν, ἐξέπεσε τῆς σωτηρίας. *ſine operibus fidelem poſſum oſtendere & vita & regno dignatum. Nemo ſine fide vixit. At latro tantum credens juſtificatus eſt. Nec mihi dicas tempus recte vivendi non habuit. neq; enim id eſt de quo diſputo : ſed hoc apertum feci fidem etiam per ſe ſolam ſervare. Nam certe ſi ſupervixiſſet fidei, & operari bene neglexiſſet, excidiſſet à ſalute.* Et Tertullianus de baptiſmo. *Fides integra ſecura eſt de ſalute.* Irenæus dixerat : *Paterfamilias dominus eſt, qui univerſæ domui paternæ dominatur, ſervis quidem & adhuc indiſciplinatis condignam tradens legem : liberis autem & fide juſtificatis congrua dans præcepta.* Et Auguſtinus Tomo IV, libro LXXXIII quæſtionum, quæſtione LXXVI. *quod ſi cum crediderit, mox hac vita deceſſerit, juſtificatio fidei manet cum illo : nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, ſed gratia pervenit : nec conſequentibus, quia in hac vita eſſe non ſinitur.* Deinde : *Non tamen ita intelligendum eſt ut accepta fide ſi vixerit, dicamus eum juſtum etiamſi male vixerit.* Zoſimus paganus Chriſtianæ fidei hanc dicit eſſe pollicitationem. τὸ τοὺς δυσεβῶς

ἀναλαμβάνοντας αὐτῆς πάσης ἁμαρτίας ἔξω παραχρῆμα καθίστασθαι, *eos qui pie eam ſunt amplexi ſtatim extra peccatum omne poni.* Philo quoque Noam dixit ante opera juſtum pronuntiatum. Sed notandum Fidem ab his ſcriptoribus & aliis eam intelligi quæ propoſitum obediendi Deo, & nunc Euangelio, accenſum Dei & proximi dilectione, ſi nondum exactiſſima, certe ſincera, includat: quod dicitur toto corde credere, Act. VIII, 37. Talem fidem Hieronymus in dialogo orthodoxi & Luciferiani in Euangelii locis de centurione & muliercula interpretatur devotam in Deum animam. Talis autem fides, quam ſtatim mors ſubſequitur, ſine operibus eſſe dicitur, non quod non pias cogitationes ſibi comites habeat, ſæpe & dicta aut facta aliqua pia, ſed quod tractum ſeriemque factorũ conſpicuorum (id enim τὰ ἔργα, *opera*, pluraliter dicta ſignificant, quod πολιτείαν vocant Græci Chriſtiani ſcriptores ſæpe, ſæpiſſime autem Chryſoſtomus) tempore interclusa non ediderit: Huc illud pertinet Hieronymi ad XII Matthæi: *In lege opera requiruntur, quæ qui fecerit vivet in eis, in Euangelio voluntas quæritur, quæ, etiamſi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit.* Chryſoſtomus ad Romanos IX, 10. ψυχῆς ἀρετὴν

ἀρετὴν δεῖ ζητεῖν ἣν καὶ πρὸ τῶν ἔργων ὁ θεὸς οἶδε, *Animi virtus quærenda eſt quam & ante opera Deus novit*. Cur ergo iſta fides quæ ſine operibus ſalutem parere potuit, non etiam diutius viventes perducit ad ſalutem? Cauſa hæc eſt, quod indulgentia Dei data ſic credentibus habet in ſe conditionem, dummodo dato tempore & occaſione pia opera ſequantur. Quæ autem ſub conditione futuri temporis dantur, ea non permanent, ſi non præſtetur conditio. Filii domini dicuntur rerum paternarum, tamē exhæredari gravibus ex cauſis poſſunt. ex cauſis ſimilibus revocantur donationes: revocantur libertates, & venditionibus adjici ſolet lex commiſſoria, & feudis ſuapte ineſt natura. Tacite quoque ademta cenſentur legata, ortis poſt inimicitiis. Sic reges multis dant criminum indulgentiam, ſed ſub certa lege, quam niſi implerint cadant impetratis, ut Solomo Semei. Eundem in modum niſi nos remittamus aliis, impetratam jam à Deo peccatorum remiſſionem (quam jus vitæ æternæ conſequitur) irritam fieri oſtendit Chriſtus Matth. XVIII, 34. Et qui iterum implicantur iis vitiis quæ per adeptam Chriſti cognitionem effugerant, eorum ſors poſtrema pejor ea quæ cognitionem præceſſerat dici-

tur futura II Petr. II, 21. quibus locis addi poteſt ille Hebr. x, 38. Tertullianus Scorpiaco: *Proſpexerat Deus, etiam poſt lavacrum, poſt editiorem fidem, perituros pleroſque rurſum poſt ſalutem.* de Pœnitentia: *Non enim multi poſtea excidunt? non à multis donum illud aufertur?* Cyprianus epiſtola VII. *Recedente diſciplina dominica, receſſit à gratia.* idem de veritate Eccleſiæ: *quod utique dominus non minaretur auferri poſſe coronam juſtitiæ, niſi quia recedente juſtitia, recedat neceſſe eſt & corona.* de Exhortatione Martyrii: *Ereptos de faucibus diaboli & de laqueis ſæculi liberatos non debere denuo ad ſæculũ reverti, ne perdant quod evaſerint.* Chryſoſtomus in c. v ad Eph. ℣. 14. ἐπαινός ἐστι τῆς δόξης αὐτοῦ, τὸ τοὺς ἐχθροὺς σῶσαι, ἀλλ᾽ ἐκείνους τοὺς μετὰ τὸ γενέσθαι φίλους μείνοντας φίλους, ὡς εἰ πάλιν ἐπὶ τὴν προτέραν ἔχθραν ἐπανέλθοιεν, πάντα εἰκῆ καὶ μάτην, *laus eſt gloriæ ipſius ſervare inimicos, ſed eos qui poſtquam facti ſunt amici amici manent, ita ut ſi ad inimicitias priores redeant, irrita ac vana fiant illa omnia.* ubi & multa ad eam rem ſubnectit egregia. Auguſtinus libro de correptione & gratia ait: *quoſdam in fide quæ per dilectionem operatur incipere vivere, & aliquamdiu fideliter ac juſte vivere, & poſtea cadere.* Ibidem: *Si jam regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſua volun-*

voluntate relabitur, certe iſte non poteſt dicere, non accepi, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio. Proſper: *Ex regeneratis in Chriſto quoſdem relicta fide & pius moribus apoſtatare à Deo & impiam vitam in ſua averſione finire, multis, quod dolendum eſt, probatur exemplis.* Quæri hic poteſt, an igitur omnis culpa talis ſit ut homini adimat acceptum jus veniæ ſtatumque illum gratiæ apud Deum. Non omnis: Sed illæ quas deſcribit Paulus 1 Cor. VI, 9, 10. & Galat. V, 19, 20, 21. 1 Timot. I, 9, 10. *Gravia,* ut loquitur de Pudicitia Tertullianus, *& exitioſa, quæ non admittet omnino qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius ſi admiſerit.* Exemplum dat Ambroſius 1 Cor. VI, 15. *membra adhærentia meretrici deſinunt eſſe membra Chriſti.* Vide & Auguſtinum Tom. X, de ſanctis ſerm. XLI. ubi quædam capitalia dicit actu ipſo, quædam ſi longo tempore teneantur, quædam ſi aſſidua ſint. Sunt enim & alterius generis culpæ, delicta (ut dicto loco Tertullianus loquitur) quotidianæ incurſationis, quibus omnes ſumus objecti. Auguſtinus ſermone XXIX de verbis Apoſtoli: *Non autem dico, quia non poſſimus hic eſſe ſine peccato, quod ideo homicidia facere debemus aut adulteria, aut cætera mortifera peccata, quæ*

uno ictu perimunt: idem libro XI de civitate Dei cap. XII. *Cum hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus juſte ac pie cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere, ſine crimine vaſtante conſcientiam, facile impetrantes peccatis hujus infirmitatis divinam miſericordiam.* idem de Fide & operibus. *Niſi eſſent quædam ſine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam proponeret in oratione quam docuit, ut dicamus, dimitte nobis debita noſtra.* quæ ex Cypriano ſumta videri poſſunt. Is enim ſic de oratione: *Nequis ſibi quaſi innocens placeat, cum innocens nemo ſit, & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur & docetur peccare ſe quotidie dum quotidie pro peccatis jubetur orare.* Sed & hæc oratio comitem ſibi vult operandi diligentiam. Idem Cyprianus de opere & Eleemoſyna. *Et quia ſemel in baptiſmo remiſſio peccatorum datur, aſſidua & jugis operatio, baptiſmi inſtar imitata, Dei rurſus indulgentiam largietur.* Ita ſentire nos docet ipſe Iacobus infra cum ait: πολλὰ πταίομεν ἅπαντες, *in multis enim offendimus omnes*, id eſt etiam optimi, per ignorantiam præſertim: III, 1. Chryſoſtomus in XI caput ad Romanos, πολλά καθ' ἑκάστην πλημμελοῦμεν τὴν ἡμέραν. διὸ καὶ πολλοῦ ἡμῖν δεῖ τοῦ ἐλέους, *in multis quotidie offendimus, ideo & multa nobis opus miſericordia.* &

in

in caput XII. ἐπειδὰν ἀνθρώπους ὄντας εἰκὸς καθ' ἑκάστην ἁμαρτάνειν τὴν ἡμέραν, *homines cum ſimus nihil mirum ſi quotidie in aliquo offendimus.* idem in priorem ad Corinthios cap. XIII. οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ἁμαρτίας χωρὶς, *non eſt enim, non eſt quiſquam qui non delinquat*, & cap. XVI. οὐδεὶς ἁμαρτίας ἐκτός. idem oratione de Terræ motu & divite & Lazaro. εἰ καὶ δίκαιος ᾖ τις, κἂν μυριάκις ᾖ δίκαιος, καὶ πρὸς αὐτὴν ἀναβῇ τὴν κορυφὴν, ὥστε ἀπηλλάχθαι ἁμαρτημάτων, οὐ δύναται καθαρὸς εἶναι κηλῖδος. κἂν μυριάκις ᾖ δίκαιος, ἀλλ' ἄνθρωπός ἐστι. τίς γὰρ καυχήσεται ἁγνὴν εἶναι τὴν καρδίαν, ἢ τίς παῤῥησιάσεται καθαρὸς εἶναι ἀπὸ ἁμαρτίας; διὰ τοῦτο κελευόμεθα εἰς τὴν εὐχὴν λέγειν, ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν ἵνα τῇ συνηθείᾳ τῆς εὐχῆς ἀναμνησθῶμεν ἐκεῖ, ὅτι ὑπεύθυνοι ἐσμὲν κολάσεσι, *etiamſi juſtus quis ſit, etiamſi millies ſit juſtus & ad ſummum pervenerit culmen ut liberatus ſit à peccato, non tamen quit ab omni nævo eſſe purus: etiamſi millies juſtus ſit, homo eſt. Quis enim jactabit mundum omnino ſibi eſſe cor, quis gloriabitur ab omni culpa ſe eſſe immunem? ideo jubemur in precatione dicere, dimitte nobis debita noſtra ut iſta precandi conſuetudine admoneamur nos puniri poſſe.* Paulo poſt: δίκαιός ἐστιν, ἐλεήμων ἐστι. φιλόπτωχός ἐστιν. ἀλλ' ἔχει τι ἐλάττωμα,

juſtus

juſtus eſt : miſericors eſt : amans eſt pauperum: ſed habet aliquid in quo adhuc deficit. Eſt enim plenum ęquitatis fedus Euangelicum, & eos qui ſecundum ſpiritum ambulant non damnat Rom.VIII,1. id eſt pro ſuis agnoſcit eos in quorum corpore non regnat peccatum, Rom.VI,12. Clemens Alexandrinus Strom.II, ait electis in Chriſto non imputari peccata illa quæ μὴ κατὰ προαίρεσιν συνίσταται quę non conſilii electione fiunt. Præterea vero ſciendum eſt, etiam eos qui per crimina illa graviora jure veniæ exciderant, reſtitui in priorem conditionem poſſe, ſed per pœnitentiam luctuoſam, ut loquitur Auguſtinus, addens nullam illis ſperandam ſalutem, niſi ſacrificium obtulerint Deo, ſpiritum contribulatum per pœnitentiam, Tom. IV, libr. LXXXIII quæſtionum, quæſtione XXVI. Pœnitentia autem ſeria haud dubie etiam diligentiſſimam vitæ emendationem continet: Et propterea Irenæus ubi regulam fidei recitat, ait: τοῖς δὲ δικαίοις καὶ ὁσίοις καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τετηρηκόσι, καὶ ἐν τῇ ἀγάπῃ αὐτοῦ διαμεμενηκόσι, τοῖς ἀπ' ἀρχῆς, τοῖς δὲ ἐκ μετανοίας ζωὴν χαρισάμενος, ἀφθαρσίαν δωρήσηται, καὶ δόξαν αἰώνιον περιποιήσῃ, *juſtis contra & pietate præditis, quique ipſius præcepta ſervaverunt, atque in ipſius charitate,*

par-

partim jam inde ab initio, partim ex pœnitentia perſtiterunt, vitam donet atque incorruptibilitatem largiatur, gloriamque ſempiternam afferat. Salvianus hunc Iacobi locum ſic παραφράζει, *circumloquitur.* libro IV de Gubernatione Dei. *Quæ ratio eſt, ut ipſi nos falſa opinione fallamus, exiſtimantes ſcilicet quia Chriſtiani eſſe dicamur, quod opitulari nobis inter mala quæ agimus, nomen bonum poſſit, cum Spiritus ſanctus nec fidem quidem dicat hominibus Chriſtianis ſine operibus bonis poſſe prodeſſe: & utique multo plus eſt, fidem habere quam nomen: quia nomen eſt vocabulum hominis: fides autem fructus eſt mentis. & tamen hunc ipſum fidei fructum infructuoſum Apoſtolus ſine operibus bonis eſſe teſtatur.* His conſonat veterum martyrum & ſanctorum chorus. Iuſtinus Apologia II. οὐ γὰρ τοὺς μόνον λέγοντας, ἀλλὰ τοὺς καὶ τὰ ἔργα πράττοντας σωθήσεσθαι ἔφη, *non enim eos qui dicunt tantum, ſed qui ſimul & opera faciunt ſalvos dixit fore.* Irenæus libro II, cap. LVI. *Iuſti autem fulgebunt ſicut Sol in regno patris eorū: injuſtos autem & qui non faciunt opera juſtitiæ, mittet in ignem æternum, ubi vermis ipſorū non morietur, & ignis non exſtinguetur.* Lib. IV cap. XXIX: *id quod erat ſemper liberum & ſuæ poteſtatis in homine ſervaſſe Deum & ſuam exhortationem: ut juſte damnentur qui non obediunt*

diunt ei, quoniam non obedierunt, & qui obedierunt & crediderunt ei, honorentur incorruptibilitate. & libro eodem cap. XXXII: *qui enim nullius indigens eſt Deus, in ſe aſſumit bonas operationes juſtas, ad hoc ut præſtet nobis retributionem bonorum ſuorum*: Clemens Strom. V: χάριτι μέν τοι σωζόμεθα οὐκ ἄνευ μέν τοι τῶν καλῶν ἔργων, *gratia ſane ſervamur, at non ſine operibus bonis.* & libro VI: ὥστε ὅταν ἀκούσωμεν ἡ πίστις σου σέσωκέν σε, οὐχ ἁπλῶς τοὺς ὁπωσοῦν πιστεύσαντας σωθήσεσθαι λέγειν αὐτὸν ἐκδεχόμεθα, ἐὰν μὴ καὶ τὰ ἔργα ἐπακολουθήσῃ, *quoties ergo audimus, fides te ſalvavit, ne credamus dici quovis modo credentes ſervari ſed ita demum ſi & opera ſequantur.* Cyprianus de præceptis Eccleſiæ: *Præceptis ejus & monitis obtemperandum eſt, ut accipiant merita noſtra mercedem*: quo in loco, & veterum aliis, vox meriti ſic ſumenda eſt, ſicut vox mercedis non apud ipſos tantum ſed & in ſacris literis, Matth. V. 12. X, 42. Luc. VI, 35. I Cor. III, 14. nimirum non ex æqualitate operis & retributionis, quæ hic certe nulla eſt. Rom. VIII, 18, quo reſpiciens μείζονα ἔπαθλα τῶν πόνων, *majora laboribus præmia*, dixit Chryſoſtomus VIII ad Romanos & alibi: μείζονα μὲν τῆς ὑμετέρας ἀξίας, ἄξια δὲ τῆς ἑαυτοῦ φιλανθρωπίας, *majora quidem quam quanti*

ſit

ſit meritum veſtrum ſed condigna ſua in homines bonitate, quod de ipſo etiam martyrio, operum excellentiſſimo, intelligendum Cyprianus exhortatione ad martyrium nos ſic docet: *Plus accepimus in paſſionis mercede, quam ſuſtinemus in ipſa paſſione.* Sed ex liberaliſſima promiſſione, quæ laborantibus nobis jus dat: ita ut hoc negotium ad donationem ſub conditione, quam ad proprie dictam locationem & conductionem, cui contractui agnatæ mercedis & merendi voces, propius accedat. quo ſenſu etiam Paulus dicit redditurum Deum piis ſecundum ipſorum opera Rom. II, 6. quorum operum explicatio συνεκδοχικῆ, *per complexionem* eſt Matth. XXV, circa finem, redditurum ſcilicet judicio non rigido, ſed mira quadam clementia temperato, & directo ad naturam benigniſſimi federis per & propter Chriſtum facti. Ambroſius in I caput ad Epheſios: *Redemti hæredes deſignati ſunt, ſi in regeneratione perdurent, ut fides prima veniam, ſancta vero converſatio perdurans cum fide coronam mereatur.* Hieronymus adverſus Pelagium dialogo I. *credenti præmium datur, ſi quod creditur & geratur.* Et mox: *Baptiſmus vetera peccata conſcindit, novas virtutes non tribuit: dimittit è carcere, & dimiſſo, ſi laboraverit, præmia polli-*

pollicetur. Qui ergo per fidem conſecuti indulgentiam peccatorum, ac proinde jus ad vitam æternam, ea bona retinere cupiunt, curare duo debent, implorato in id ſeria prece Dei auxilio, ut ſibi ab illis criminibus à regno Dei excludentibus caveant. I Petr. III, 10. 11. Ioh. V, 14. Rom. VI, 12, 13. I Ioh. II, 1. ubi, ut & in aliis ejus epiſtolæ locis, peccandi vox non in latiore ſignificatu, qui & πταίσματα, *offendicula*, comprehendit, ſumitur, ſed in ſtrictiore ac graviore ſenſu: deinde vero, ut occaſione data actiones edant in Deum honorificas & in proximum utiles, I Petr. III, 10, 11. Rom. VI, 13. ac ſic in pietate magis magiſque proficiant. utrumque autem debent credere ita eſſe neceſſarium, ut, niſi præſtetur, futurum ſit ut excidat homo jam impetratis. Chryſoſtomus ſub finem capitis quarti ad Epheſios: οὐκ ἀρκεῖ κακίας ἀπαλλαγῆναι, εἰ δεῖ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ἐπιτυχεῖν, ἀλλὰ δεῖ καὶ πολλῆς τῆς τῶν ἀρετῶν ἐργασίας, *non ſatis à malitia liberatum eſſe ut regnum cæleſte conſequamur, ſed accedere debent multæ virtutis actiones.* Addit mox: τὸ ἀγαθὸν μὴ ποιῆσαι, κακίας μέρος, *etiam non facere bonum pars malitiæ*, quod multis comparationibus illuſtrat Ambroſius in IV caput ad Epheſios: *donate invicem: alioqui Deus*

Deus repetit remiſſa. Auguſtinus: *Redire dimiſſa peccata ubi caritas non eſt, apertiſſime Dominus in Euangelio docet in illo ſervo à quo dimiſſum dominus debitum petiit, eò quod ille conſervo ſuo noluit debitum dimittere.* Alibi: *qui ingratus, ſicut canis, ad vomitum rediit, anteacta bona mortificavit, & peccatum dimiſſum revocavit.* Gregorius Magnus: *Ex dictis Euangelicis conſtat, quia ſi ex toto corde non dimittimus quod in nos delinquitur, & hoc rurſus exigitur quod jam nobis dimiſſum per pœnitentiam gaudebamus.*

ἐὰν ᾖ ἀδελφὸς ἢ ἀδελφὴ γυμνοὶ ὑπάρχωσι, καὶ λειπόμενοι ὦσι τῆς ἐφημέρου τροφῆς, *ſi autem frater & ſoror nudi ſint & indigeant victu quotidiano:*] Rem propoſitam Iacobus ſimilibus illuſtrat. Bene autem dictum à Tertulliano de Pudicitia: *Quanquam etſi omnia ad ſpeculum reſpondere poſſint, unum ſit proprium periculum interpretationum ne alιorſum temperetur felicitas comparationis; quam quo parabolæ cujuſque materia mandavit*: & mox addit: *non ex parabolis materias commentamur, ſed ex materiis parabolas interpretamur.* cui conſentiens Chryſoſtomus in ix cap. ad Romanos: καὶ τοῦτο πανταχοῦ δεῖ παρατηρεῖν, ὅτι τὰ παραδείγματα οὐ πάντα καθόλου δεῖ λαμβάνειν: ἀλλὰ τὸ χρήσιμον αὐτῶν ἀπαξομένους καὶ εἰς ὅπερ παρείληπται, τὸ λοιπὸν

ἅπαν ἐᾶν. Et hoc omnino ſervandum eſt, comparationes non ex omni parte ſumendas ſed utendum & quod utile eſt & cujus cauſa inſtituitur comparatio : omittenda cætera. Videndum ergo quid propoſitum ſibi habeat comparatio. id autem ſic ſe habet. Sicut bona dicta non proſunt egenti cui dicuntur, etiamſi adſit forte animus optans egenti bona, ita nec fides deſtituta operibus prodeſt credenti. In hoc autem ſimili ineſt & æquitatis demonſtratio. Noluit ille prodeſſe alteri : æquum eſt ut nec ſibi proſit. Fames & nuditas κατὰ *συνεκδοχὴν, per complexionem*, omnes calamitates ad quas humana vita patet, & quæ aliena ope ſublevari facile poſſunt, ſignificat. ut dicto jam Matth. loco c. xxv. Menandri verſus hinc non abludunt :

τὸ κουφότατόν σε τῶν κακῶν πάντων δάκνει,
πενία· τί γὰρ τοῦτ' ἐστιν, ἧς γένοιτ' ἂν εἷς
φίλος βοηθήσας ἰατρὸς ῥαδίως ;

Adeon te excruciat quod malorum eſt omnium
Leviſſimum paupertas ? quantillum eſt enim
Amicus unus cui medendo ſufficit ?

ἐφήμερος τροφή, *victus quotidianus.*] eſt non acervus rerum, ſed dimenſum quotidianum. Hoc τροφὴν καθ' ἡμέραν dixere comici, Alexis & Antiphanes : Græci interpretes Dan. 1, 5. τὸ τῆς ἡμέρας καθ' ἡμέραν, & Philo

Philo in Allegoriis τὸ τῆς ἡμέρας εἰς ἡμέραν. qui id habent eoque contenti vivunt καθημερόβιοι Græcis.

℣. 16. εἴπῃ δέ τις αὐτοῖς ἐξ ὑμῶν, ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ, θερμαίνεσθε καὶ χορτάζεσθε, *dicat autem aliquis ex vobis illis : ite in pace, calefacimini & ſaturamini.*] Illud ὕπαγε ἐν εἰρήνῃ, *vade in pace*, oſtendit quæ hic efferuntur modo imperativo, eſſe precativa ſive optativa. εἰρήνη *pax*, ex שלום Hebræo res proſperas ſignificat. itaque ὕπαγε ἐν εἰρήνῃ ut hic, aut ὕπαγε εἰς εἰρήνην ut enunciatur Marci v, 34. aut πορεύου εἰς εἰρήνην, ut Lucæ VII, 50. VIII, 48. ſignificat : Bene tibi ſit : quod deinde hic ſequentibus verbis ſpecialiter & accommodate ad præſentem ejus hominis qui conſpicitur neceſſitatem explicatur : Habeas unde te veſtias : habeas unde te ſaties : Nam θερμαίνεσθαι, *calefieri*, hic eſt veſtiri, ut Iobi XXXI, 20. Bona vota atque omina ab eo qui plus præſtare non poteſt, ſpernenda non ſunt :

Vt deſint vires tamen eſt laudanda voluntas.

At ab eo profecta cujus in poteſtate eſt quod optat effectum dare, pro nihilo reputantur.

μὴ δῶτε δὲ αὐτοῖς τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος, *non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori.*] Ea nimirum quibus doleat natura

negatis, tegumenta & alimenta. Vide I Tim. VI, 8. Non detis, cùm ejus rei vobis copia ſuppetat, ſcilicet. Vide II Corinth. VIII, 13.

τί τὸ ὄφελος; *quid proderit?*] Non habuit talis voluntas effectum quem debuit: evanuit.

V. 17. οὕτω καὶ ἡ πίστις ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ, νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν, *ſic & fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.*] Mortuum dicitur omne quod actuoſum non eſt:

Nam quodcunque ſuis mutatum finibus exit
Continuo hoc mors eſt illius quod fuit ante.

Ait Lucretius. Vide Rom. IV, 19. Hebr. XI, 12. Sic ſine lege peccatum exanime dicitur, Rom. VII, 8. quia vim quam habere debebat, commovendi conſcientiam, eam prava conſuetudine perdiderat. Actus non quidem naturalis fidei neque ei debitus, ſed à Deo liberaliter conceſſus eſt, ſervare. Eo actu deſtituitur niſi conditio operum poſt fidem præſcripta impleatur. illud καθ' ἑαυτήν, *in ſemetipſa,* hic πλεονάζει, ut ἐφ' ἑαυτήν, Matth. XII, 25, 26. XIII, 21. & ἀφ' ἑαυτοῦ, Ioh. XV, 4. ἐν ἑαυτοῖς, Rom. I, 24. & multa paſſim ſimilia. itaque mox pro eodem ſimpliciter dicitur, νεκρά ἐστι, *mortua eſt.*

V. 18. ἀλλ' ἐρεῖ τις σὺ πίστιν ἔχεις, κἀγὼ ἔργα ἔχω,

ἔχω, *ſed dicet quis: Tu fidem habes & ego opera habeo.*] Merito dicat aliquis pius tali homini fidem ſuam multis verbis prædicanti: tu de fide te jactitas: ego vero tacitus do operam piis factis.

δεῖξον μοι τὴν πίστιν σου ἐκ τῶν ἔργων σου, *oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis.*] Addit ille: fides cum in animo ſita ſit facile etiam ab eam non habentibus jactatur. itaque ne homines quidem de alterius fide humano modo certi eſſe poſſunt, niſi pia facta eam teſtentur, optima fidei indicia. Nam tam egregia ac frequentia facta, qualia in Chriſtianis iſta ætate ſpectabantur, non poterant non ex fide procedere.

κἀγὼ δεῖξω σοι ἐκ τῶν ἔργων μου τὴν πίστιν μου, *& ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam.*] Ego de fide mea glorias non ſectans in hoc totus ſum ut vitæ pietate, non Deo tantum ac conſcientiæ meæ, ſed & aliis oſtendam me eſſe Chriſtianum:

Deniq; quid verbis opus eſt? ſpectemur agendo.

v. 19. σὺ πιστεύεις ὅτι ὁ θεὸς εἷς ἐστι, *tu credis quoniam unus eſt Deus.*]Valedixiſti illis Diis quos humana audacia invenit: agnoſciſq; Deum eſſe unum, in lege monſtratum, in Euangelio apertius revelatum. Vide Deut. VI, 4. Marci XII. 29, 32. Iohan. XVII, 3. de pluribus quæ credenda ſunt id poſuit

 exem-

exempli cauſa quod primum eſt, & unde pendet Chriſti miſſio atque auctoritas.

καλῶς ποιεῖς, *bene facis.*] Bene hoc ſe habet ſed non ſufficit.

καὶ τὰ δαιμόνια πιστεύουσι, *& dæmones credunt.*] Iſta cognitio adeo non ſufficit ut cum pravis ſpiritibus tibi ſit communis.

καὶ φρίσσουσι, *& contremiſcunt.*] Non modo ſalutem nullam ſperandam habent ſed & pro ſua pravitate graviora tormenta cum metu exſpectant. Vide Matth. VIII, 28. II Petr. II, 4. Iudæ 6. Apoc. XX, 10.

℣. 20. θέλεις δὲ γνῶναι, ὦ ἄνθρωπε κενὲ, ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστιν; *vis autem ſcire, ô homo inanis, quod fides ſine operibus mortua eſt?*] ἄνθρωπε κενὲ, id eſt vane. Syriace Rica vel Raca. Sic Iudicum XI, 3. אנשים ריקים. Græci vertunt ἄνδρες κενοὶ. Et inde Heſychius ῥακὰ κενός. Non igitur omnino univerſum ſumendum quod Chriſtus vetat tali vocabulo quẽpiam appellari, ſed ubi id ex odio aut impotente ira fit: non ubi fraterno corrigendi animo, præſertim ſi qui ita loquitur imperium aliquod in alterum aut inſpectionem habeat. Sic μωροὺς, *ſtultos*, dixit Chriſtus Matt. XXIII, 17, 18. & ἀνοήτους tum Chriſtus Luc. XXIV, 25. tum ejus exemplo Paulus Galat. III, 1, 3. Sed ſimul notandum & hic & illis Chriſti apo-

ſtoli-

ſtolique verbis non certum aliquem hominem, ſed hominum genus, & quidem prava aliqua qualitate aut perſuaſione tinctũ, ita compellari. cum dicit θέλεις γνῶναι, *vis ſcire?* hoc vult: Vin tibi exemplis è ſacro codice, cui credere te ais, depromtis oſtendi, verum eſſe quod dixi?

℣. 21. Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ἡμῶν οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, *Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt?*] Quod veterum multi, atque inter eos Auguſtinus libro de fide & operibus cenſent, & hanc epiſtolam, & Iohannis primam, & Iudæ & eam quæ Petri ſecunda dicitur, ſcriptas adverſus eos qui Paulinas epiſtolas prave interpretantes, fidem dicebant ſine bonis moribus ad ſalutem ſufficere, probabile fit, tum ex ultimis epiſtolæ illius quæ Petro aſſcribitur verbis, tum quod hic Iacobus ejuſdem Abrahami exemplo utitur, ut probet opera ad ſalutem requiri eo quem ſupra explicavimus ſenſu, ex cujus exemplo Paulus intulerat juſtificari homines per fidem ſine operibus Rom. III,27. & IV toto. Cæterum ipſum Paulum minime pugnare cum his Apoſtolis clariſſime docet Auguſtinus Pauli ejuſdem dicto ad Gal.V,6. in Chriſto neque circumciſionem valere quicquam neque præputium, ſed eam fidem quæ

per charitatem operatur, cui & alterum locum adjecit Auguſtinus ex priore ad Corinthios XIII, 2. ubi is qui fidem habeat, charitatem non habeat, nihil eſſe dicitur. *ubi autem*, ſubjicit idem Auguſtinus, *hæc fidelis charitas operatur, ſine dubio bene vivitur*. Idem Auguſtinus de libero Arbitrio cap. VII. *Homines autem non intelligentes quod ait ipſe Apoſtolus, arbitrantur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis, putaverunt eum dicere, ſufficere homini fidem, etiamſi male vivat, & bona opera non habeat. quod abſit ut ſentiret vas electionis, qui cùm dixiſſet quodam in loco: In Chriſto enim Ieſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, mox addidit: Sed fides quæ per dilectionem operatur. Ipſa eſt fides quæ fideles Dei ſeparat ab immundis dæmonibus. Nam & ipſi, ſicut dicit Apoſtolus Iacobus, credunt & contremiſcunt, ſed non bene operantur*. Vtrunq; concilians idem Auguſtinus Tom. IV, libro LXXXIII quæſtionum, quæſtione LXXVI, ſic loquitur: *quapropter non ſunt ſibi contrariæ duorum Apoſtolorum ſententiæ, Pauli & Iacobi, cum dicit unus juſtificari hominē per fidem ſine operibus, ille dicit inanem eſſe fidem ſine operibus: quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iſte de iis quæ fidem ſequuntur: ſicut etiam ipſe Paulus multis locis oſtendit*. optime: opponit

enim Paulus fidei, non opera quæ ex fide procedunt, ac ſæpe etiam ſub ipſo fidei nomine, ſenſu quodam extenſiore, comprehenduntur, ut apparet ex citatis ad initium hujus tractationis Pauli locis Rom. x, 10. Tit. 1, 1. Sed ea quæ ſine fide, ſive ex nativis hominum viribus & humana tantum inſtitutione præſtari poſſunt: qualia ſunt ritualia omnia, deinde etiam actionũ malarum abſtinentia pœnæ vitandæ cauſa, præterea alia quædam quæ commodi honoriſve ſtudio fieri ſolent. Iudæi plurimum tribuebant ritibus: præceptorum ﭏ תעשה id eſt vetantium ea ſola urgebant quibus pœna appoſita eſt; cogitationem, quamvis deliberatam, negabant pœnæ etiam apud Deum eſſe obnoxiam: omiſſionem vero præceptorum תעשה id eſt jubentium facile dicebant expiari. Hæc erat pietas Iudaica, qua inflati contemnebant alienigenas quantumvis à Diis falſis ad verum Deum, à flagitioſa vita ad ſanctam converſos. Adverſus hos diſputans Paulus, oſtendit neque Deo placere ad dandam ſalutem ulla opera, quæ non ex animo per fidem vitæ æternæ purgato & ſupra rerum temporalium curam ad amorem Dei proximique accenſo, eduntur, & contra nihil impedire ſalutem mala opera in iis qui ſe per

talem fidem ab iis averterint, Deoque ſe & ſanctæ vitæ dicaverint. Auguſtinus dicto quæſtionum libro quæſt. LXXVI: *Locus iſte hujus epiſtolæ* (nempe Iacobi) *eundem ſenſum Pauli Apoſtoli quomodo ſit intelligendus exponit. ideoque magis Abrahæ utitur exemplo, vacuam eſſe fidem ſi non bene operetur, quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus Apoſtolus uſus eſt, ut probaret, juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. Cum enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ ejus fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit Paulum Apoſtolum non ita per Abraham docere, juſtificari hominem per fidem ſine operibus, ut, ſi quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari: ſed ad hoc potius ut nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur ſe perveniſſe ad donum juſtificationis quæ eſt in fide.* Ibidem adductis Pauli locis Gal. V. & I Cor. VI, *quibus ſententiis*, ait, *manifeſtiſſime docet non eos præterito bono opere ad fidei juſtificationem perveniſſe: nec meritis eorum iſtam gratiam datam, quando dicit: & hæc quidem fuiſtis: ſed cum dicit qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt, ſatis oſtendit, jam ex quo crediderunt, bene operari debere. quod & Iacobus dicit & multis omnino locis idem Apoſtolus Paulus ſatis aperteque prædicat, recte vivendum omnibus, qui in Christo crediderunt, ne ad pœnas perveniant.* Vox Græca

δικαιȣν

δικαιοῦν, *juſtificare*, reſpondet Hebræo הצדיק ut & ex novi federis ſcriptoribus & ex interpretibus veteris apparet. Ejus autem formæ, quæ Hiphil Hebræis dicitur, voces modo actum duplicem, id eſt facientis ut alter faciat ſignificant, modo aliquid ſimile, puta declarare, quomodo & vox הצדיק & ei oppoſita הרשיע, *injuſtificare*, illud in abſolvendi, hoc in condemnandi ſenſu ſumuntur tum alibi, tum Deuter. xxv, 2. & Prover. xvii, 15. item tractare tanquam talem: puta laudare, quomodo vox ea ponitur Matth. xi, 10. Luc. vii, 29. x, 29. xvi, 15. 1 Tim. iii, 16. & Eccleſiaſtici 1, 28. xxxi, 5. item alicui benefacere, ut 1 Reg. viii, 32. quomodo & נקה quod eſt innocentificare, Chaldæus Exo. xxxiv, vertit parcere. ita qui tanquam plane inſons à Deo amatur, ſpiritu Dei donatur, certus fit in eo ſtatu æternæ ſalutis, interdum dicitur δικαιοῦσθαι, cum alioqui vox ipſa alibi in ſignificatu illo primitivo & magis propriè reperiatur ut Dan. xii, 3. Apoc. xxii, 11. Vt quis eo modo Deo placeat, obtineri non per nativa hominum opera, ſed per fidem divinis oraculis habitam ubi ea ad propoſitum obediendi pervenerit, conſervari verò per pia facta, omnes Chriſtiani Græci, Latini, Africi, unanimi ac mani-

manifeſto perpetuoque conſenſu crediderunt, docuerunt, & ita ſe credere tum ſingularibus quiſque factis, tum conſtitutis in commune circa baptiſmum & pœnitentiam regulis univerſi demonſtrarunt. De Euchariſtia ſic ait Iuſtinus ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μεταχεῖν ἐξὸν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ διδασκόμενα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντι ὡς ὁ χριστὸς παρέδοκεν, *cujus neminem fas eſt participem fieri niſi qui crediderit quæ apud nos docentur & ablutus ſit lavacro quod inſtitutum eſt pro remiſſione peccatorum & ad regenerationem, & ſic vivat quomodo Chriſtus vivi juſſit.* Multis autem modis Phariſaicas ſententias oppugnat Paulus, oſtendit enim ritualia partim à Deo tolerata, partim & pro temporum ingeniorumque ratione, ad vitandos cultus idololatricos, inſtituta, non autem per ſe in pretio habita: tum vero à facinoribus, quæ & humanæ leges cum Moſis lege hac in parte congruentes, gravibus ſuppliciis coërcent abſtinere, nihil in ſe habere laude, nedum divino præmio dignum: aut tale, in quo ſe jactare quiſquam debeat: ubi obiter & hoc aſpergit, multos qui ſe de lege jactabant ne iſtam quidem pręſtitiſſe innocentiam, poſtquam ſcilicet judicia capita-

lia,

lia, quorum metu coërcebantur, apud ipſos ceſſaverant, & Romanæ leges aut præſides ad multa facinora connivebant. At verò eam rationem homines ad ſalutem perducendi quam Deus in Abrahami ejuſque poſterûm rebus ruditer delineaverit, pleniſſime autem conſummatam in Euangelio oſtenderit, Deo eſſe digniſſimam, hominibus verò utiliſſimam. Nam modeſtiam ac ſubmiſſionem animi ubi cum Deo agendum eſt, eo nobis maxime imprimi, quod ſciamus non ἐκ συναλλάγματος ſive æquo federe, ſed per Dei miſericordiam & peccatorum etiam gravium condonationem nos ad ſpem vitæ æternæ perduci, cùm lex Moſis eſſet (ut Livii de lege humana loquentis utar verbis) res ſurda & inexorabilis circa talia. ἀδύνατος ἡ τῆς κολάσεως παραίτησις νόμον παραβαίνοντι, *nulla patebat pœnæ deprecatio ei qui in legem peccaſſet*, ait contra Appionem Ioſephus. quod ejus ipſius vitæ cognitionem, firmam dico & cujus cauſa quævis incommoda ac pericula deſpectentur, non noſtrapte ratiocinatione aut ullius humanę ſapientię auctoritate, ſed Dei bonitate, ſua conſilia nobis patefacere, eademque per ſpiritum ſanctum in cordibus obſignare dignati, adipiſcamur: quod eam jam viam inſiſtentes

non

non ſummo jure, ſed paterna clementia Deus judicet. Ex his autem naſcens animi ſubmiſſio, & ad preces nos adigit & ad agnoſcenda ingentia Dei beneficia: demit autem ſuperbiam aliorumque contemtum. firma autem illa de vita æterna perſuaſio efficit, ut præ Dei tam benefici amore, & commendati nobis ab ipſo & ipſius vice proximi ſalute, nihil magni ducamus: præſertim cùm ipſe Chriſtus ſalutis noſtræ auctor eam viam non docuerit tantum, ſed & exemplo monſtraverit. Ad hæc autem comparatæ ceremoniæ Iudaicæ, & tenuis illa ad præſcriptum legis, ſive humanæ, ſive divinæ, quatenus ea ad humanæ modũ intelligitur, innocentia ἡ μέχρι τῶν πράξεων ἐγκράτεια, *intra facta ſtans continentia*, ut Chryſoſtomus loquitur in VIII ad Romanos, merito ſordent: imo & illa de facili culparum, quæ in omittendo conſiſtunt, expiatione opinio magnum profectui impedimentum objicit: cuncta autem iſta talia ſunt, ut non modo animum non purgent, ſed; niſi alia divinitus accedant, animum magis à ſenſu morborum ſuorum avertant. Cum autem iſta ratio divinæ οἰκονομίας ſapientiſſima, Hebræis, qui & avitarum virtutum & legis ſibi ſolis datæ titulo ſemet efferebant, alienigenis autem non circum-

circumciſis invidebant ſalutem, difficulter perſuaderetur, etiamſi maxima apud homines non plane contumaces habebat teſtimonia, Chriſti præcepta ſupra legem, ejus mortem & reditum in vitam, alienigenarum ad Chriſtum converſorum vitam Iudaica multo ſanctiorem, fortioremque multo in rebus adverſis patientiam, ſpiritus præterea ſancti dona conſpicua à Synagoga ſublata, tranſlata ad Eccleſiam, ut eam ferociam cõtunderet Paulus, negat Deum conſilii ſui cuiquam debere rationem, cùm & ut opifex in nos herile jus habeat, & vita æterna cœleſtiſque felicitas homini ex ſuapte natura non debeatur. Attamen ſine harum præſcriptionum fraude, liberaliter oſtendit, neque Deo glorioſam magis, neque utiliorem hominibus rationem iniri potuiſſe. Et hoc quidem eſt Paulinæ ad Romanos epiſtolæ præcipuũ propoſitum, à veteribus cunctis pie obſervatum, cùm tamen membra ſingula & voces non eundem in modum omnes interpretentur, quod minime mirum videbitur ei qui cum Irenæo, Origene, Hieronymo, multà lectione & inter legendum animi intentione, didicerit, multas eſſe in eo ſcriptore ὑπερβολὰς, παρενθέσεις, συγχύσεις, ὑπέρβατα, ἀνακόλουθα, *ſuperjectiones, interpoſitiones, confuſiones,*

fuſiones, tranſilitiones, comparationes inconſummatas, & conciſe alia, alia ex abrupto dicta. Sed hæc ſalutiferis dogmatibus & ab eodem Apoſtolo & ab aliis ſanctis ſcriptoribus & ſæpe & aperte propoſitis nubem objicere non debent. Cavendum ne incidamus in illud quod dicit Tertullianus adverſus Marcionem IV. *ſemper hæretici aut nudas ac ſimplices voces conjecturis quo volunt rapiunt, aut rurſus conditionales & rationales ſimplicitatis conditione diſſolvunt.* quod Ariſtoteles diceret τὸ ἁπλῶς λεγόμενον ὡς κατά τι λαμβάνουσι, τὸ δὲ κατά τι, ὡς ἁπλῶς, *ſimpliciter dictum accipiunt ſecundum quid, contra quod ſecundum quid dicitur, ſimpliciter.* Et adverſus Praxeam: *Proprium hoc eſt omnium hæreticorum, nam quia pauca ſunt quæ in ſilva inveniri poſſunt, pauca adverſus plura defendunt.* Sic & libro de Pudicitia: *Solenne eſſe*, ait, *hæreticis alicujus capituli ancipitis occaſione adverſus exercitum ſententiarum inſtrumenti totius armari.* & de reſurrectione: *utique æquum incerta de certis & obſcura de manifeſtis præjudicari, ut ne inter diſcordiam certorum & incertorum, manifeſtorum & obſcurorum, fides diſſipetur, veritas periclitetur, ipſa divinitas ut inconſtans denotetur.* quicum bene conveniunt illa Origenis VI adverſus Celſum, εὖ οἶδα ὅτι ῥητά τινα παρεκλήφονται τῆς γραφῆς.

γραφῆς. οἱ καὶ ταῦτα (nempe τὰ κακὰ) βουλόμενοι τολμᾶν φάσκειν ἀπὸ θεοῦ γεγονέναι, μὴ δυνάμενοι ἓν ὕφος ἀποδεῖξαι τῆς γραφῆς, αἰτιωμένης μὲν τοὺς ἁμαρτάνοντας, ἀποδεχομένης δὲ τοὺς εὖ πράττοντας, καὶ οὐδὲν ἧττον κἀκεῖνα λεγούσης ἅτινα περισπᾶν δοκεῖ ὀλίγα ὄντα τοὺς ἀμαθῶς τὰ θεῖα γράμματα ἀναγινώσκοντας, *Scio aliqua Scripturæ dicta arrepturos qui & iſta dicunt à Deo eſſe : cùm non poſſint prò ſe afferre tenorem ſcripturæ perpetuum, quæ ubique accuſat male agentes, bene agentes approbat, & tamen illa dicit quæ pauca, detinere videntur eos qui ſcripturas imperite legunt.* Vnde non abit prudens Clementis Alexandrini dictum Strom. VI. ἅπαντα ὀρθὰ ἐνώπιον τῶν συνιέντων, φησὶν ἡ γραφή. τοῦτ' ἔστι τῶν ὅσοι ὑπ' αὐτοῦ σαφηνισθεῖσαν τῶν γραφῶν ἐξήγησιν κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα ἐκδεχόμενοι διασώζουσι. κανὼν δὲ ἐκκλησιαστικὸς ἡ συνῳδία καὶ συμφωνία νόμου τε καὶ προφητῶν τῇ τὴν τοῦ κυρίου παρουσίαν παραδιδομένῃ διαθήκῃ, *omnia recta intelligentibus ait ſcriptura, id eſt iis qui ab ipſo patefactum ſcripturæ ſenſum ſecundum Eccleſiaſticum canonem accipiunt & ſervant. Canon autem Eccleſiaſticus eſt convenientia & conſenſus legis & Prophetarum cum eo federe quod per Domini adventum datum eſt.* Nec minus utile illud Vincentii. *Tunc operam dabit ut collatas inter ſe majorum conſulat interrogetque*

ſententias, eorum duntaxat, qui diverſis licet temporibus & locis, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione & fide permanentes magiſtri probabiles exſtiterunt: Et quicquid non unus aut duo tantum, ſed omnes pariter uno eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeveranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum. quod breviter idem ſcriptor ſic exprimit: *Vt propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum eccleſiaſtici & catholici ſenſus normam dirigatur.* & rurſum: *Hoc ita demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.* His præmunitus lector facile intelliget quid ſibi Iacobus velit: nimirum ipſum Abrahamum, qui credentium pater dicebatur, in id omni modo laboraſſe, ut favorem Dei per fidem adeptus eum bonis operibus conſervaret, eo modo βεβαίαν τὴν αὐτοῦ κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιούμενος, *certam faciens ſuam vocationem & electionem*, ut Petrus de Chriſtianis loquitur II Ep. I. 10. Sicut vitam hanc parentum facto adipiſcimur, per alimenta autem cõſervamus, ſic ſtatus ille in quo Deus nos tanquam innocentes acceptat, fide quæritur, cõſervatur vero bonis operibus: *Nativitas autem ſalutaris non accepta, ſed cuſtodita vivificat*, ut ait Cyprianus epiſt. VII.

ἀνευέ-

ἀνενέγκας Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐπὶ θυσιαστήριον, *offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare.*] Multa adferri opera poterant Abrahami poſt fidem Dei verbis habitam: Sed nullum excelſius quam quod filium unicum, ex matrefamilias ſibi cariſſima, in ſenectute utriuſque genitum paravit Deo victimam, ita ut per eum non ſteterit, quo minus eum etiam morti daret. Hæc præparatio, in qua præter letalem ictum nihil aberat, facit ut rei tanquam peractę laudem à Deo ſit conſecutus. Gen. XXII, 12. & hoc ſenſu obtuliſſe filium ſuum Abrahamus & hic dicitur & Hebr. XI, 17. Optime Salvianus: *quantum ad defunctionem cordis pertinet, immolavit.* Credibile autem non eſt amantem filii patrem id facturum fuiſſe, ſi putaſſet ſe Dei in ſe benevolentiam abſque obedientiæ operibus poſſe retinere. Significanter autem addidit ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, *ſuper altare,* ex Geneſ. XXII, 9. quaſi diceret ad certam, ut ipſe arbitratur, mortem, quæ victimas ita altari impoſitas & in id ligatas ſolebat ſequi. mos ille victimas ligandi etiam in Virgilio apparet, ubi Sinon aræ deſtinatus ait, *& vincula rupi.* & apud Ovidium III libri de Ponto Elegia II. ubi de Pylade & Oreſte in Tauris ſermo:

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram
Evincti geminas ad ſua terga manus.

ỷ. 22. βλέπεις ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, *vides quoniam fides cooperabatur operibus illius.*] Ne quis putaret hic opera ſepoſita fide exigi, bene notat ad ſtatum illum gratiæ apud Deum tutandum, concurriſſe in Abrahamo & fidem & opera. fidem quæ ab initio ejus ſtatus ad conſummationem uſque decucurrit, opera ut fidem ſubſequentia & dato tempore ac occaſione ad conſervandum eum ſtatum neceſſaria. Cum συνήργει, *cooperabatur,* dicit, docemur non male & fidem & opera fidei poſſe dici cauſam ut δικαιώσεως, *juſtificationis,* ita ſalutis (nam δικαίωσις retenta ſalutem adfert) modo non intelligamus cauſam primariam, quæ eſt Dei εὐδοκίαν, *beneplacitum,* ſive liberum decretum ἐκ φιλανθρωπίας, *ex ſua in homines dilectione.* Eph. 1, 4. Tit. 111, 4. ſed conditiones, quæ ſæpe cauſæ ſine quibus non, aut ſui generis cauſæ, dicuntur.

καὶ ἐκ τῶν ἔργων αὐτοῦ ἡ πίστις ἐτελειώθη, *& ex operibus fides conſummata eſt.*] Nempe per opera factum eſt ne fides ſperato eventu excideret. Perficitur per dilectionem fides, ut Tertull. loquitur adverſus Marcionem V. *Nec enim,* ut recte Cyprianus

nus dicta jam epiſtola, *conſecutio ſed conſummatio hominem Deo ſervat*. Præceſſerat: *Parum eſt adipiſci aliquid potuiſſe: plus eſt quod adeptus es, poſſe ſervare.*

ỽ. 23. καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ λέγουσα, ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ θεῷ, *& ſuppleta eſt ſcriptura dicens: credidit Abraham Deo.*] Eodem Moſis dicto utitur quo ad commendandam fidem Paulus uſus fuerat. Atqui, dicat aliquis, multo hoc ante poſitum à Moſe eſt, quam ad hiſtoriam oblati Iſaaci pervenerat, ubi ſcilicet Abrahamo promiſſam ſobolem innumeram eique promiſſo fidem ab ipſo habitam, narraverat. Sed ſciendum eſt apud Hebræos frequens eſſe ut dicant פתקיים, id eſt ἐπληρώθη ſive comprobatus eſt hic vel ille ſcripturæ ſacræ locus, quoties rei eo loco commemoratæ ſimile quid accidit, maxime ubi parem cauſam par eventus ſequitur. Fides illa Abrahami, quæ Deo ita grata fuit, ut propter eam Abrahamum, velut plane ab initio innocentem, ſuſciperet, ſæpe apparuit: eo tempore de quo agit locus ille Geneſeos xv, 6. iterum Geneſ. xvii. cùm promiſſus ei eſſet ex Sara filius, quod exſequitur Paulus ad Roman. iv. 17, & ſequentibus. Nunquam autem evidentius emicuit, quã cùm ſe ad parendum pręcepto Dei de filio

occidendo accinxit. Erat enim ea fides ingens & Euangelicæ inſtar, ita de Dei & potentia & in dictis ſuis ratis faciendis conſtantia exiſtimans, ut filium, unde cætera magnifica promiſſa pendebant, vel à morte ſibi reſtitui poſſe crederet. Heb. XI, 18.

καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.] Vox חשב, pro qua λογίζειν ponunt Græci, frequenter ſumitur cùm res aut homo aliquis ita habetur quaſi alio modo ſe haberet quam ſe habet, ſive id jure, ſive injuria fiat. Eodemque modo ſumitur verbum ἰσοδυναμοῦν נמנה ut Eſaiæ LIII, 12. quod per λογίζειν reddidere Matthæi interpres XV, 28. Lucas XXII, 37. Sic cum opus unum egregium pro multis habetur, dicitur id in juſtitiam λογίζεσθαι ſive reputari, ut de Phinee, Pſal. CVI, 30. Sic ἡ ἀκροβυστία, id eſt præputiati hominis pii ſtatus dicitur εἰς περιτομὴν λογίζεσθαι Rom. II, 27. id eſt tantundem valere quantum ſtatus hominis circumciſi. Iuſtinus ad Zenam: *ἀνοήτῳ γὰρ ἐπερωτήσαντι σοφίαν, σοφία λογισθήσεται, imperito enim & interroganti ſapientiam ſapientia reputabitur*, id eſt ἡ ἐπερώτησις εἰς σοφίαν λογισθήσεται, *interrogatio pro ſapientia habebitur*. Theophilus Antiochenus, ἡ πίστις σου εἰς ἀπιστίαν λογίζεται, *fides tua in infidelitatem reputabitur.*

Ter-

Tertullianus Apologetico de Ludis Gentium : *occaſio luxuriæ religio deputabitur?* idem libro de patientia de Abrahamo loquens : *cæterum Deus quem juſtitiæ deputaſſet ſciebat.* Chryſoſtomus 1 ad Cor. cap. 11. λογισθήσεται τῷ ἕλληνι εἰς πίστιν ἡ προσκύνησις ἐκείνη, *reputabitur Græco in fidem talis adoratio.* idem ergo valet aliquid alicui λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην, *reputari ad juſtitiam*, quod eum qui id habeat, haberi ὡς δίκαιον καὶ ἀναμάρτητον, *quaſi juſtus plane eſſet neque unquam peccaſſet.* Iuſtinus colloquio cum Tryphone : ἡ γὰρ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία τοῦ θεοῦ καὶ τὸ ἄμετρον τοῦ πλούτου αὐτοῦ τὸν μετανοοῦντα ἀπὸ τῶν ἁμαρτημάτων ὡς δίκαιον καὶ ἀναμάρτητον ἔχει, καὶ τὸν ἀπὸ εὐσεβείας ἢ δικαιοπραξίας μετατιθέμενον ἐπὶ ἀδικίαν ὡς ἁμαρτωλὸν καὶ ἄδικον καὶ ἀσεβῆ ἐπίσταται, *Dei enim bonitas & erga homines dilectio & immenſum divitiarum ejus, pœnitentia ob peccata ductum pro juſto & peccati exſorte habet, at contra eum qui à pietate aut juſtitia deficit ad iniqua, pro peccatore, injuſto & impio habet.* idem & per ἀποδέχεσθαι, *acceptare*, Græci loquuntur, ut ὁ θεὸς τὴν μετάνοιαν εἰς ἀρετὴν ἀποδέχεται, *Deus pœnitentiam pro virtute acceptat.* Id vero ipſum quod hic dicitur, ſic circumloquendo exprimit Philo in libro quis rerum divinarum hæres. ἀναγκαίως οὖν ἐπι-

ἐπιλέγεται, ἐπίστευσεν Ἀβραὰμ τῷ θεῷ, πρὸς ἔπαινον τοῦ πεπιστευκότος· καίτοι τάχα ἄν τις εἴποι, τοῦτ' ἄξιον ἐπαίνου κρίνετε; τίς δὲ οὐκ ἂν λέγοντι καὶ ἐπαγγελλομένῳ θεῷ προσέχοι τὸν νοῦν κἂν ἁπάντων ἀδικώτατος καὶ ἀσεβέστατος ὢν τυγχάνων· πρὸς ὃν ἐροῦμεν, μή, μή, ὦ γενναῖε ἀνεξετάστως ἢ τὸ σοφὸν ἀφέλῃς τὰ πρέποντα ἐγκώμια, ἢ τοῖς ἀναξίοις τὴν τελειοτάτην ἀρετῶν πίστιν μαρτυρήσῃς, ἢ τὴν ἡμετέραν περὶ τούτων γνῶσιν αἰτιάσῃ. βαθυτέραν γὰρ εἰ βουληθείης ἐρευνᾶν καὶ μὴ σφόδρα ἐπιπόλαιον ποιήσασθαι, σαφῶς γνώσῃ, ὅτι μόνῳ θεῷ χωρὶς ἑτέρου προσπαραλήψεως οὐ ῥᾴδιον πιστεῦσαι, διὰ τὴν πρὸς τὸ θνητὸν, ᾧ συνεζεύγμεθα συγγένειαν, ὅπερ ἡμᾶς καὶ χρήμασι, καὶ δόξῃ καὶ ἀρχῇ, καὶ φίλοις, ὑγείᾳ τε καὶ ῥώμῃ σώματος, καὶ ἄλλοις πολλοῖς ἀναπείθει πεπιστευκέναι· τὸ δὲ ἐκνίψασθαι τούτων ἕκαστον καὶ ἀπιστῆσαι γενέσθαι τῇ πάντα ἐξ ἑαυτῆς ἀπίστῳ, μόνῳ δὲ πιστεῦσαι θεῷ, τῷ καὶ πρὸς ἀλήθειαν μόνῳ πιστῷ, μεγάλης καὶ ὀλυμπίου διανοίας ἔργον ἐστὶ, πρὸς οὐδενὸς οὐκέτι δελεαζομένης τῶν παρ' ἡμῖν. εὖ δὲ τὸ φάναι, λογισθῆναι τὴν πίστιν εἰς δικαιοσύνην αὐτῷ. δίκαιον γὰρ οὕτως οὐδὲν, ὡς ἀκράτῳ καὶ ἀμιγεῖ τῇ πρὸς θεὸν μόνον πίστει κεχρῆσθαι, *Neceſſario igitur additur, credidit Abraham Deo ad laudem ipſius qui credidit. At forte dicat aliquis. Hocne dignum laude exiſtimatis? Quis non Deo loquenti ac pollicenti fidem adhibeat, etiamſi ſit homi-*

num,

num, injuſtiſſimus & vel maxime impius. Cui ſic reſpondebimus : Ah ne, vir bone, aut viro ſapienti aufer quæ ei debentur præconia, aut indignis perfectiſſimam virtutum attribue fidem, aut noſtram hac de re damna ſententiam. Nam ſi profundiorem velis, non autem in ſummo natantem hac de re inquiſitionem facere, clare cognoſces non adeo eſſe facile Deo ſoli, re alia non aſſumta, credere, propter eam quæ in nobis eſt cum mortali compage cognationem, quæ quidē cauſa eſt cur fidamus & pecuniis & gloriæ, & honoribus & amicis & bonæ valetudini & corporis robori & aliis rebus ejuſmodi. Ab his purgari omnibus, & diffidere genitis rebus per ſe infidis, uni autem Deo confidere, qui revera ſolus ſemper fidus eſt, magni & cæleſtis animi eſt opus, & ejus qui nullis amplius capiatur earum quas videmus rerum illecebris. Optime autem dictum, fidem ipſi ad juſtitiam eſſe reputatam. Nihil enim tam juſtum quam pura atque ſincera in Deum fide niti. Et quæ ibi ſequuntur digna ſane lectu. idem Philo libro de confuſis linguis : ὁ δὲ σοφὸς πρῶτον μὲν κλᾶται γέρας· παρὰ τοῦ ἑστῶτος ἀεὶ Θεοῦ συγγενὲς αὐτοῦ τῇ ἀκλινεῖ καὶ ἀρρεπεῖ πρὸς πάντα δυνάμει λαβών. εἴρηται γάρ· Σὺ δὲ αὐτοῦ στῆθι μετ' ἐμοῦ, ἵνα ἐνδοιασμὸν καὶ ἐπαμφοτερισμὸν, ἀβεβαίου ψυχῆς διαθέσεις, ἀποδυσάμενος τὴν ὀχυρωτάτην καὶ βεβαιοτάτην διάθεσιν καὶ πίστιν

ἐνδύσηται, *ſapiens ille primum habet acceptum à Deo ſemper ſtante præmium conſentaneum potentiæ Dei indemutabili atque invariabili. dictum enim eſt : Tu autem, ſta mecum, nempe ut hæſitationem & alternationem inſtabilis animi affectiones exuens induat conſtitutionem omnium firmiſſimam atque conſtantiſſimam, fidem ſcilicet.* Quæ ſi quis recte conſideret, inveniet optime convenire cum eo quod ſcriptor ad Hebræos, Philoneum aliquid ſpirans, ut Hierònymo videtur, ſcripſit : ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, *eſt fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Naturám fidei idem Philo dicto jam libro de hærede bonorum divinorum, ſic explicat dicens, τὸ μὲν ἀπορεῖν ἐνδοιάζοντος. τὸ δὲ μηκέτι ζητεῖν, πεπιστευκότος ἔργον εἶναι, *dubitare alternantis eſt : nihil autem ſciſcitari opus credentis.* ubi ἐνδοιάζειν, *alternare*, idem eſt quod διστάζειν Matth. XIV, 31. & διακρίνεσθαι Matth. XXI, 21. & in hac Iacobi epiſtola I, 6. Sapienter autem Iacobus cùm opera commendaret, immiſcuit & fidei præclaros titulos, ne eam plus æquo dejicere videretur, oſtendens ipſa opera fidei accepta ferenda, eoque magis quo præclariora. Chryſoſtomus in IV caput ad Romanos : τὸ γὰρ μὴ κλέψαι, μηδὲ φονεῦσαι

καὶ

καὶ τῶν τυχόντων ἐστί. τὸ δὲ πιστεῦσαι ὅτι τὰ ἀδύνατα δύναται θεὸς, μεγαλοφυοῦς τινὸς δεῖται ψυχῆς καὶ σφόδρα περὶ αὐτὸν διακειμένης, *non furari, non occidere hominum eſt vulgarium. At credere Deum poſſe impoſſibilia effecta dare, animum requirit ſublimem & optime in Deum affectum*, idem mox credentem ei qui tantum opera exhibet conferens: δείκνυσι πιστεύοντα ἐργαζόμενον μᾶλλον ἢ ἐκεῖνον καὶ πλείονος δεόμενον δυνάμεως καὶ πολλῆς τῆς ἰσχύος, *oſtendit credentem plus illo agere & majore ad id opus vi atque efficacia.*

καὶ φίλος θεοῦ ἐκλήθη, *& amicus Dei appellatus eſt.*] Poſtquam fidei ſuum reddidit, ad operum vim prædicandam redit. ἐκλήθη, *appellatus eſt*, non eſt ad hominum exiſtimationem referendum (nemo enim teſtis adfuerat iſti facto Abrahami filium offerentis tantopere prædicato, ut ſacra nos docet hiſtoria) ſed ad rem ipſam, locutione Hebræa, qua vocari aliquis dicitur nomine quo nunquam appellatus eſt, ſed quod ipſius ſtatum pulchre exprimit. Sic Ioh. dixit epiſtola I, c. III, I. ἴδετε ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν ἡμῖν ὁ πατὴρ ἵνα τέκνα θεοῦ κληθῶμεν: *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur*: quod in Euangelio dixerat I, 12. ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, *dedit eis poteſtatem*

filios

filios Dei fieri. Vide Eſaiam I, 16. XLVIII, 8. LXII, 4. Ierem. XXXIII, 16. Ezech. XLVIII, 35. Quod autem hic dicitur φίλος θεοῦ ἐκλήθη, *amicus Dei appellatus eſt*, pertinet ad ea quæ habemus Geneſ. XXII, 16. & ſequentibus, ubi Deus cum Abrahamo, ideo quod filio ſuo præ Dei amore non pepercisſet, fedus novum paciſcitur, idque ipſum ſancit jurejurando, quod quãti ſit faciendum vide Hebr. VI, & ſic eum in propiorem amicitiæ recipit gradum: quo & illud ſpectat quod eſt Eſaiæ XLI, 8. & II. Par. XX, 7. Ita egregie oſtendit Iacobus quantum apud Deum valeant & fides & ex fide profecta opera.

℣. 24. ὁρᾶτε τοίνυν, ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον, *videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo.*] Clemens in epiſtola ad Corinth. ἔργοις καὶ δικαιούμενος καὶ μὴ λόγοις, *operibus juſtificatus non verbis*, δικαιοῦται *juſtificatur.* omnino his in locis intelligi debet apud Deum, ut verba præcedentia & adductus ex Geneſi locus evincunt. ad quæ argumenta & hoc accedat, quod fides, utpote internum aliquid homini, hominibus aliis non apparet, ac ſic apud homines aliquem juſtificare dici non poteſt. Hoc ergo dicit, ut qui jam credidit à Deo tanquam plane inſons bonuſq; tractetur,

ctetur, ſive ut Deum habeat amicum & fautorem (hæc enim eodem recidunt) non ſufficere fidem, ſed, ſi tempus detur & occaſio, requiri & bona opera, qualia præſtitit Abrahamus. Pro eodem poſuit *δικαιωθῆναι, juſtificari*, & *φίλον θεοῦ κληθῆναι, & amicum Dei vocari*. Sic *δικαιωθῆναι, juſtificari*, per *εἰρήνην ἔχειν πρὸς θεὸν, pacem habere apud Deum*, exponitur Rom. v, 1. Hæc duo fidem & opera conjuncta, ſive fidem quæ per dilectionem efficax eſt, Paulus appellat novam creaturam, item obſervationem præceptorum Dei, ut collatis locis Galat. v, 6. vi, 15. & 1 Corin. vii, 19. apparet. Salvianus de Gubernatione Dei lib. iv, ex hoc Iacobi loco docet à Spiritu ſancto dici, nec fidem Chriſtianis hominibus ſine operibus bonis poſſe prodeſſe, imo ſine iis fidei fructum eſſe infructuoſum.

v. 25. *ὁμοίως δὲ καὶ ῥαὰβ, ſimiliter & Raab.*] Abrahami exemplum Hebræis ad Chriſtum converſis ſufficere debebat: ſed quia etiam alienigenis Chriſtum amplexis ſcribit Iacobus, adjunxit exemplum feminæ extraneæ.

ἡ πόρνη, meretrix.] Vocem זונה *πόρνην* & Ioſuæ libro capite 11. ubi hæc refertur hiſtoria vertunt Græci, quos & Iacobus hic ſequitur, & ſcriptor ad Hebræos xi, 30. videtur

detur quidē vox proprie cauponam ſignificare, πανδοκεύτριαν ut Chryſoſtomus loquitur de hac ipſa femina, ſermone de pœnitentia ſecundo. Sed plerunque cauponæ talem etiam quæſtum faciebant. Vide legem, Quæ adulterium C. de Adulteriis. Inter Abrahami poſteros etiam ante legem grave crimen fuit feminæ ſcortari, ut Philo notat. non item apud gentes corruptiores, à quibus qui venirent eos Apoſtoli ſpecialiter inſtituendos duxere ne ſcortari pro levi haberent, ut videre eſt Actor. xv, 29. Quod autem hic dicitur ἡ πόρνη, *meretrix*, intelligendum, quæ talis fuerat antequam ad verum Deum ab Hebræis hoſpitibus edocta ſe converteret. Sic Matth. xxi, 31, αἱ πόρναι, *meretrices*, dicuntur intrare in regnum cæleſte. Chryſoſtomus dicto ſermone: εἰ ζῆν ὀφείλει διὰ τί πόρνη; εἰ πόρνη, διὰ τί ζήτω; λέγω, φησί, τὴν προτέραν κατάστασιν, ἵνα θαυμάσῃς τὴν δευτέραν μετάστασιν, *ſi vivere debet, cur meretrix dicitur? ſi meretrix eſt cur dicitur, vivat? Hoc vult: priorem tibi ſtatum ejus memora ut ſecutam mireris reſtitutionem.* Optime autē Rahab figuram gerit eorum qui ex gentibus extraneis in Chriſtum credidere: nam & horum ſaluti vita prior flagitioſa nihil obſtitit: Sic Chryſoſtomus dicto loco: εἰκὼν τῆς ἐκκλησίας ἡ Ῥαὰβ τῆς ποτε

πεφυρ-

πεφυρμένης τῇ πορνείᾳ τῶν δαιμόνων, *Rahab figuram gerit Eccleſiæ, quæ olim pollutа erat ſcortatione cum dæmonibus.*

οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη; *nonne ex operibus juſtificata eſt?*] Fides præceſſerat qua Deum agnorat unum, cæli terræque dominum Ioſuæ II, II. Hebr. XII, 31. quod quantum fuerit illis corruptiſſimis temporibus ex frequentibus Hebræorum circa id ipſum lapſibus ſatis intelligitur. Sed fidei huic addenda cenſuit opera.

ὑποδεξαμένη τοὺς ἀγγέλους, *ſuſcipiens nuntios.*] Illa quoque poſtquam crediderat, ut ſervari poſſet, adjungenda cenſuit opera, cùm miſſos ad ſe Hebræos, qui pro hoſtibus à civitate habebantur, non tantum in domum recepit, ſed & latebris ne reperiri poſſent abdidit.

καὶ ἑτέρᾳ ὁδῷ ἐκβαλοῦσα, *& alia via dimittens.*] Deinde etiam fune per feneſtram muro urbis injunctam dimiſit incolumes, viamque monſtravit per quam inquiſitores ex urbe miſſos fallerent: hæc omnia non factura, niſi ad conſervandam Dei in ſe benevolentiam opera poſt fidem neceſſaria crediſſet.

℣. 26. ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστι, *ſicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt.*] Sequitur concluſio totius hujus

hujus utiliſſimæ diſſertationis. Hebræi נפש id eſt animam cùm dicunt vitam ipſam intelligunt, ſubſtantiam autem eam quæ vivificat vocant πνεῦμα, *ſpiritum*, ut videre eſt Lucæ XXIII, 46. Actor. VII, 59. & alibi. Ea ſubſtantia ubi abiit, relinquitur corpus νεκρὸν, id eſt non edit ex ſe eos actus qui humano corpori conveniunt.

οὕτω καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι, *ita & fides ſine operibus mortua eſt.*] Fides, niſi eam dato tempore & occaſione opera ſequantur, non producit id quod producere debebat, continuationem ſcilicet divini favoris & conſequenter ſalutem æternam. Chryſoſtomus in epiſtolam ad Romanos cap. III. ἀλλ᾽ ἐπειδὰν μετὰ τὴν χάριν ταύτην δι᾽ ἧς ἐδικαιώθημεν, καὶ πολιτείας χρεία, ἀξίαν ἐπιδείξωμεν τῆς ἀρετῆς τὴν σπουδὴν, *ſed quia poſt eam qua juſtificati ſumus gratiam vita opus eſt bona, oſtendamus ſtudium virtute dignum.* Et mox capite VI. οὕτω καὶ χριστιανοῦ οὐδὲν ἔσται κέρδος, πίστιν μὲν ἔχοντος καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος δωρεὰν, πᾶσι δὲ τοῖς πάθεσι προκειμένου, *ſic & Chriſtianus nihil lucrifaciet, ſi fidem quidem habeat & baptiſmi donum, pravis autem ſubjaceat affectibus.* Et capite VIII. οὐδὲ γὰρ δυνατὸν οὐδὲ μετὰ τὴν πίστιν ῥαθυμοῦντα σωθῆναι. ἆθλα γὰρ τὰ παλαίσματα, ἵνα νικήσῃς ἀγωνιζόμενος, οὐκ ἵνα καθεύδῃς

ἀλλ᾽ ἵνα

οὐδ' ἵνα τῷ μεγέθει τῆς χάριτος πρὸς ῥαθυμίας ὑπόθεσιν ἀποχρήσῃ, τῷ βορβόρῳ πάλιν ἐγκαλινδούμενος τῷ προτέρῳ, *fieri enim non poteſt ut ſalvetur qui poſt fidem torpeſcit. Faciles tibi factæ ſunt luctæ ut vincas certans, non ut dormias, non ut magnitudine gratiæ ad occaſionem pigritiæ abutaris rurſum volutatus in luto priore* Deinde: ὥστε ἂν ἀπελάσῃς ἐνταῦθα ὢν τοῦ πνεύματος τὴν χάριν, καὶ μὴ ζῶσαν αὐτὴν ἔχων ἀπέλθῃς, ἀπολῇ πάντως κἂν ἀνέστῃς, *quod ſi dum hic es expellas ſpiritus gratiam, neque ea tibi ſoſpite decedas, periiſti quanquam ſurrexeras.* Et capite XI. οὐκ εἶπε τῇ πίστει, ἀλλὰ τῇ χρηστότητι, τουτέστιν ἂν ἄξια τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας πράττῃς. οὐ γὰρ πίστεως δεῖ μόνον, *non dixit fide, ſed bonitate, id eſt ſi digna agas Dei erga homines dilectione. non enim fides ſola requiritur.* Idem in cap. I epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios ✠, I, τὸ γὰρ ἀπαλλαγέντα ἁμαρτημάτων καὶ φίλον γινόμενον τοῖς προτέροις ἐγκαλινδεῖσθαι, πάλιν ἐπ' ἔχθραν ἐπανελθεῖν ἐστι καὶ εἰς κενὸν τὴν χάριν δέξασθαι. οὐδὲν γὰρ ἀπὸ τῆς χάριτος μέγα ὠφελούμεθα εἰς σωτηρίαν, ἀκαθάρτως ζῶντες, ἀλλὰ καὶ βλαπτόμεθα μειζόνως ταύτῃ βαρούμενοι καὶ ἐν τοῖς ἁμαρτήμασιν, ὅτι μετὰ ἐπίγνωσιν ταύτην καὶ δωρεὰν ἐπὶ τὰ πρότερα ἐπανήλθομεν κακά, *nam ſi quis liberatus à peccatis & amicus factus Dei iterum in prioribus volutetur, id vero eſt ad*

inimicitiam redire & fruſtra accepiſſe gratiam. Nihil enim magni ex gratia conſequimur ad ſalutem ſi impure vivamus, imo cõtra lædimur, cùm ad peccata gravius inde pondus accedat, quòd poſt cognitionem illam & illa dona, ad mala priora revertimur. Ad Galatas cap. v, ℣. 4. ἵνα τοίνυν μὴ ἀκούσας ὅτι ἐξελέξατο, τὴν πίστιν ἀρκεῖν νομίσῃς μόνον, καὶ τὸν βίον προστίθησι, *ne igitur ubi audis, elegit, ſolam putes ſufficere fidem, ideo & vitam addit.* libro quarto de ſacerdotio : οὐδὲν κέρδος ὑγιοῦς πίστεως τῆς πολιτείας διεφθαρμένης, *nihil lucri ex ſana fide ſi vita ſit corrupta.*

EXPLICATIO
loci in prima epiſtola
IOHANNIS
cap. III, ℣. 9.

Πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ θεοῦ, *omnis qui natus eſt ex Deo.*] Quiſquis indolem induit divinæ naturæ pro modo humano ſimilem. Nam qui ſimiles alicui ſunt ab Hebræis, ab illis nati, aut eorum filii dicuntur, Iohan. VIII, 39. *Si filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis,* ibid. 42. *Si Deus pater veſter eſſet, amaretis me.* 44. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & cupiditates patris veſtri facere vultis: ille homicida fuit ab initio:* & quæ ſequuntur. 47. *qui ex Deo eſt verba Dei audit, ideo vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*

ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ, *peccatum non facit.*] Paſſim Iohannes in hac epiſtola pro eodem ponit ἁμαρτίαν ποιεῖν, *peccatum facere,* & ἁμαρτάνειν, *peccare*: cui oppoſitum eſt ſupra comm. 7. ποιεῖν δικαιοσύνην, *facere juſtitiam.* male vertunt quidam operam dare peccato: atque inde inferunt, ut quis Dei filius cenſeatur, ſufficere ſtudium & conatum recte vivendi, etiamſi ea ipſa factis nō impleátur prævalente peccandi conſuetudine: pernitioſe admodum. Agit plane

 hic

hic Iohannes de duplici vitæ genere, altero præceptis Dei congruente, altero cum eis pugnante. Sunt quidem & actus nonnulli tales ut hominem à regni cæleſtis jure excludant, nempe qui neque per ignorantiam neque per ſubreptionem contra Dei præcepta admittuntur. Alia enim eſt ratio honorum, alia pœnæ. Honores non dantur niſi his quos totus vitæ tenor commendat. Ad pœnam ſæpe unum crimen ſufficit. Iacobi II, 10, 11. ſed hic duas veluti vias deſcribere nobis Apoſtolus voluit, quæ in Barnabæ epiſtola vocantur via lucis & via tenebrarum: nempe ut apertius diſcrimen appareret, extima oppoſuit. Quod & Pythagoras & Prodicus Ceus fecere.

ὅτι σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει, *quoniam ſemen ipſius in eo manet.*] Quia verbum Dei, quod quaſi ſemen eſt quo divina natura in nobis gignitur, in ipſo vegetum exiſtit. Verbum Euangelii ſemen dicitur paſſim, Marci IV, 14. Matth. XIII, 19. I Petr. I, 23. Hoc verbo regignimur. Iacobi I, 18. μένειν hic non eſt durare, ſed ineſſe, Ioh. XIV, 17. παρ' ὑμῖν μένει καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται. Spiritus veritatis in vobis & nunc eſt & poſthac erit, nempe ſi eum ut par eſt, conſervetis. ita ſupra cap. II, commate 5 & 6, in Deo εἶναι & μένειν ſumuntur ut idem ſignificantia

ſicantia. Neque aliter uſurpatur hæc vox in Iohannis Euangelio III, 36. & hac epiſtola c. III, 14. Hoc ſenſu μένειν de eodem Euangelii verbo uſurpatur Iohannis Euangelio XV, 7. & hac epiſtola II, 14 & 24. Eſt autem talis argumentatio. Fieri non poteſt ut qui filius eſt Dei in eo non ſit verbum quod eſt ſemen divinum. At verbi iſtius vis ea eſt ut nos à peccatis arceat jubendo, vetando, pollicendo, comminando. ideo per verbum ſanctificari dicimur Ioh. Euan. XVII, 17.

καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν. & non poteſt peccare.] *οὐ δύναται* hic ſignificat rem de qua agitur alienam eſſe ab ejuſmodi ingenio. idem aut ſimilis uſus eſt hujus locutionis II Cor. XIII, 8. Actor. IV, 20. Ier. XIII, 23. Matth. VII, 11. XII, 34. XIII, 34. Ioh. VIII, 43. V, 44. XIV, 17. Nec aliter Seneca loquitur cum ait: *vir bonus non poteſt non facere quod facit*. Menander dixerat: *οὐδεὶς πονηρὸν πρᾶγμα χρηστὸς ὢν ποιεῖ, nemo bonus qui vir ſit rem faciet malam*. *Ἁμαρτάνειν, peccare,* autē hoc loco idem valet, quod ſupra *ἁμαρτίαν ποιεῖν, peccatum facere*. apparet hoc comm. præcedente, ubi dicitur *ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, qui facit peccatū*, eſſe ex Diabolo, quia Diabolus *ἀπ' ἀρχῆς ἁμαρτάνει, ab initio peccat*, i. e. *ἁμαρτίαν ποιεῖ, peccatum facit;*

ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ γεγέννηται, quoniam ex Deo natus eſt.] Ratio cur peccandi ſtudium alienum ſit à talis hominis ingenio hic petitur ex ſubjecti nomine : quaſi dicat, non mirum eſt eum averſum eſſe à rebus vetitis, quandoquidem eſt ac eſſe ſe meminit Dei filium ac proinde Deum ſibi imitandum. Hinc vero non ſequitur eum non poſſe deſinere Dei eſſe filium. Tertullianus libro de Pudicitia enumeratis criminibus gravioribus: *Hæc non admittet omnino qui natus è Deo fuerit, non futurus Dei filius ſi admiſerit.* Sic arbor bona non poteſt proferre fructus malos. Matt. VII, 18. at fieri ſterilis, putris, vitioſa denique, & ubi talis facta eſt, exſcindi poteſt. Non poteſt proferre fructus malos ait ad eum Matthæi locum Hieronymus, quamdiu in bonitatis ſtudio perſeverat. Et contra arbor mala fieri bona poteſt. Tertullianus de Anima : *Non dabit arbor mala fructus bonos, ſi non inſeratur, & bona malos dabit ſi non colatur. & lapides filii Abrahæ fient, ſi in fidem Abrahæ formentur. & genimina viperarum fructum pœnitentiæ faciēt ſi venena indignitatis exſpuerint. Hæc erit vis divinæ gratiæ, potentior utique natura, habens in nobis ſubjacentem ſibi arbitrii poteſtatē quod αὐτεξούσιον dicitur, quæ cum ſit & ipſa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur natura convertitur.*

vertitur. Chryſoſtomus in VIII ad Romanos: ὥσπερ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ φησιν, οὐ δύναται δένδρον σαπρὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖν, οὐ τὴν ἀπὸ κακίας εἰς ἀρετὴν μεταβολὴν κωλύων. ἀλλὰ τὴν ἐν τῇ κακίᾳ διατριβὴν λέγων μὴ δύνασθαι φέρειν καρποὺς καλούς. οὐ γὰρ εἶπεν, οὐ δύναται δένδρον πονηρὸν καλὸν γενέσθαι, ἀλλ' ὅτι φέρειν καρποὺς καλοὺς οὐ δύναται μένον πονηρόν, *ut in Euangelio dicitur: non poteſt arbor mala bonos fructus facere, non impediens mutationem à vitio in virtutem, ſed negans fructus prodire bonos ex permanſione in vitio. Neque enim dixit, non poteſt mala arbor bona fieri, ſed hoc vult, eam dum manet mala non poſſe proferre fructus bonos.* M. Antonius Imperator; ὁ μὴ θέλων τὸν φαῦλον ἁμαρτάνειν ὅμοιος τῷ μὴ θέλοντι τὴν συκῆν ὀπὸν ἐν τοῖς σύκοις φέρειν, *qui hominem malum vult non peccare idem facit ac ſi velit ficum arborem in ficubus ſuis non habere ſui generis ſuccum.*

PARAPHRASIS.

Vos Chriſtum profeſſi dici vultis Dei filii, ac proinde hæredes. Verum etiam atque etiam cogitate, quales eſſe oporteat eos qui non nomine nudo, ſed reipſa Dei filii ſint futuri. Hi certe non carni obſequium præſtant, non ad Mundi exempla ſe

componunt, non extra legis divinæ orbitam qua lubet feruntur : quippe qui memoria retineant auditum ſemel ac corde perceptum ſermonem Euangelii , qui non tantum mandatorum divinorum obedientiam præcipit, ſed & æternis promiſſis elicit obedientiam, & minis graviſſimis abſterret ab inobedientia. quare iſtius ſermonis memores continent ſe à vita improba, quin & animo averſo ſunt ab improbitate atque eam ſerio oderunt, ut qui cogitent Deum eſſe patrem ſuum, ac proinde ejus bonitatem pro exemplari ſibi proponunt, ut nominis ſui menſuram impleant.

FINIS.

1022.20
Z
9995.6250

87

1022.20

1022.20

Digitized by Google

[illegible] Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google